Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 108 - Tom. II

Cartier, Gallus

[S.l.], 1795

Appendix - De cultu et invocatione sanctorum neenon de veneratione reliquiarium et sanctarum imaginum

urn:nbn:de:bsz:31-111018

Visual Library

APPENDIX

De Cultu et Invocatione Sanctorum necnon De Veneratione Reliquiarum et Sanctarum Imaginum.

Paragr

Tractat
te

Cultu et
Necnon de
quiarum
§I. Texitur Cata
Doctrinam
ac Reliquiar
ratione imp
§II. De Adoratio
§III. De Invocati
§IV. De cultu Cru
liquiarum a

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

Index
Paragraphorum Appendicis
ad
Tractatum tertium Tomi ~~tertii~~ secundi
~~tii~~ Theologiæ Universalis
De
Cultu et invocatione Sanctorum,
Necnon de veneratione Sacrarum Reli-
quiarum et Sanctarum imaginum &.

§.I. Texitur Catalogus Hæreticorum, qui Catholicam Num.
Doctrinam de cultu et invocatione Sanctorum,
ac Reliquiarum, et Sanctarum imaginum vene-
ratione impugnarûnt ..... 1.
§.II. De Adoratione seu Cultu Sanctorum ..... 3.
§.III. De Invocatione Sanctorum ..... 29.
§.IV. De cultu Crucis Christi et ejusdem Crucis effigiei, Re-
liquiarum ac Imaginum Sanctorum ..... 44.

Appe
De cultu e
Sanc
Necnon de ve
rum et Sa
Solent pler
calcem Tractat
ris Catholicam
atorum, necno
terum Imagim
dere, ut cujus
ra Religionis
quorum Hæres
s, criminentur
idololatriam r
ti Mediatori e
Theologiâ ob do
tuniùs eorum
quam ubi ja
tore actum est
de Verbô Inc
Singulis Sph
S.
Texitur Catal
qui Catholicam
et invocatione
liquiarum, et
gium venerat
Manichæi
atorum cultum
Catholicis, teste
Gentium Marty
ut ergò Hæreti
hâ ætate in
fuisse.
Manichæoru

Appendix.
De cultu et invocatione Sanctorum; Necnon de veneratione Reliquiarum et Sanctarum Imaginum p.

Solent plerumque Theologi nostri 1.
ad calcem Tractatûs de Mysteriô Incarnationis Catholicam de cultu et invocatione Sanctorum, necnon de Reliquiarum et Sanctarum Imaginum veneratione doctrinam expendere, ut cujus appendix sit. Cùm enim nostræ Religionis Adversarii Protestantes, antiquorum Hæresiarcharum vestigiis inhærentes, criminentur, hanc nostram doctrinam idololatriam redolere, necnon Deo et Christo Mediatori esse injuriosam; multibi in Theologiâ ob doctrinæ consecutionem opportunius eorum calumniæ retundantur, quàm ubi jam de Deô ac Christô Mediatore actum est, scilicet post absolutum de Verbô Incarnatô Tractatum. Quod singulis Sphis exequimur.

S. Primus.

Texitur Catalogus Hæreticorum, qui Catholicam Doctrinam de cultu et invocatione Sanctorum, ac Reliquiarum, et Sanctarum Imaginum veneratione impugnarûnt. 2.

Manichæi tertiô Sæculô omnem Sanctorum cultum respuerunt, objecerunt-que Catholicis, teste S. Augustinô, quòd pro Diis Gentium Martyres invexissent. Agnoscebant ergò Hæretici illi, cultum Sanctorum suâ ætate in Ecclesiâ Catholicâ celebrem fuisse.

Manichæorum errorem amplexus

ext sæculô 4to in Oriente Eunomius Arianus; et initio sæculi 5^ti^ Vigilantius natione Gallus et Barcinonensis Ecclesiæ in Hispaniâ Presbyter in Occidente, contrà quem calamum strinxit S. Hieronymus.

Signum Crucis, quòd à Catholicis manuum agitatione exprimi solet, deriserunt iidem Manichæi ex S. Augustinô, lib. 6. contrà Faustum; et alii recentiores Manichæi in Gallis apud Pithœum in Historiâ Aquitanicâ.

Amalarius sæculô 9no refert lib. de Off. Eccles. c. 14. quorundam errorem, statim tamen extinctum, qui veram Christi crucem ita honorandam censebant, ut reliquas ad ejus similitudinem efformatas rejicerent. Alii paulò pòst ereperunt, qui, duce Claudiô Taurinensi Episcopô, tam veram, quàm cæteras Cruces conculcarent. Hujus impietatis socii in Oriente extiterunt Paulicciani à quodam Paulô sic nuncupati, veterum Manichæorum propago. Hos secuti sunt undecimô sæculô in Occidente Henriciani seu Petrobusiani.

Ol 4/54

Quartô sæculô Sanctarum Reliquiarum hostes extitêre in Oriente prædictus Eunomius Arianus; et initiô sæculi 5^ti^ in Occidente Vigilantius, qui, teste S. Hieronymô, Catholicos per contemptum Cinerarios, imò et Idololatras vocabat.

Sacras Imagines impugnârunt 1° Judæi ex peculiari suæ legis instituto. 2° Mahumetani, quorum secta prodiit sæculô septimô. 3° Ex Christianis Manichæi, teste Tharasiô Episcopô Constantinopolitanô, act. 4ª Concilii VII. Oecumenici. Sed præcateris Leo Isaurus Imperator à quodam Judæô deceptus, an. 730. publicô edictô in sacras Imagines tantô furore debachatus est, ut *Iconomachorum Princeps meritò ab omnibus habeatur. Impietatem

*Iconomachus è græcô idem est ac Imaginum debellator.

paternam Constantinus Copronymus totô conatu prosecutus est; congregatisque ex variis provinciis Episcopis numerô 338. Constantinopoli . i jussit imagines abrogari an: 754. Legatos insuper misit ad Pipinum Francorum Regem, ut eum in Scelotis Societatem pertraheret. Verùm Pipinus in conventu Sûe de causâ Gentiliaci habitô an. 767. Imperatorem per eosdem Legatos ab errore revocare conatus est, frustrâ tamen, nam proconceptum in Imagines odium Copronymus non deposuit, filium quoque nomine Leonem pertinacia simul et imperii heredem reliquit.

Leoni Isauro obstiterunt, in Oriente Sancti Joannes Damascenus, et Germanus Patriarcha Constantinopolitanus; in Occidente Gregorius Papa II. in Synodô Romanâ, et Gregorius III. in Conciliô 93. Episcoporum anno 732. ex Anastasio in ejus vitâ. Stephanus IV. quoque an: 769. damnavit Conciliabulum Iconomachorum Constantinopoli jussu Constantini Copronymi coactum, ex eodem Anastasio.

Tandem Constantinus pius Imperator cum Irene matre collapsum in Oriente Imaginum cultum restituere curavit; igitur ipso agente an. 787. Nicæa Bithyniæ Metropoli celebratum est Concilium generale VII. dictum Nicænum II. cui Adrianus I. Papa per suos Legatos præsedit; in quo Sanctis Imaginibus cultus suus et honos restitutus est.

Iconomachorum errorem ubique proscriptum duodecimô Sæculô renovarunt Valdenses, Petrobusiani, Henriciani et Albigenses; et tandem Decimô Sextô

372. Lutherani et Calvinistæ insuper ampleni sunt impietatem Manichæorum, Vigilantii, et aliorum hujusmodi hæreticorum circa cultum Sanctorum et Reliquiarum, imò et pretiosissimæ Crucis Domini, adeò ut sectas eorum rectè dixeris sentinam, in quam omnium hæresum sordes confluunt. Quòd si præcedentium Hæreticorum traditionem prætendant, indèque glorientur, profectò gloria hæc illis in confusionem cedit; cùm impietates illæ, ubi prodierunt, continuò fuerint proscriptæ ab Ecclesiâ, cui resistere insolentissimæ est insaniæ, ait S. Augustinus.

S. Secundus.

3. De adoratione seu cultu Sanctorum.

Jam supra c. 6. §. 8. diximus Religiosæ adorationis seu cultûs triplicem esse Speciem: Latriæ, qui est cultus, qui exhibetur ob excellentiam divinam seu increatam, et hic uni Deo debetur. Dulia, qui est cultus, qui exhibetur propter excellentiam creatam et supernaturalem, sed multis communem et non alicui omninò singularem. Et Hyperdulia, qui est adoratio, qua exhibetur propter excellentiam creatam supernaturalem, sed eximiam et uni subjecto singularem. Prima adorationis seu cultûs Species, ut dictum, uni Deo debetur. Altera exhibetur Sanctis sive cum Christo jam regnent in cœlis; sive adhuc in Ecclesiâ militent. Tertiâ adorationis Specie sola Virgo Deipara colitur, propter dignitatem Matris Dei et affinitatem cum Verbo incarnato, quâ supra cæteras creaturas eminet, atque illius sanctitatem, qua licet creata, sit, ita tamen eximia et singularis est,

Gl. p. 5.

ut nulli alii creaturæ conveniat; unde sic 373.
de eâ loquitur S. Ambrosius, lib. 2. de Virginibus, Quid nobilius Dei Matre? quid splendidius eâ quam Splendor elegit.

Conclusio. 4.

*Sancti in cœlo cum Christo regnantes aliquo cultu digni sunt, nempe Dulia; B. Virgo Maria verò Hyperdulia. Tres sunt hujus conclusionis partes.

Quod hanc Conclusionem spectat, quamvis Protestantium vulgus, quidamque minùs eruditi Nos Catholicos insectentur tanquam idololatras, quòd Sanctis cultum exhibeamus; tamen qui inter illos sunt perspicaciores et præstantioris eruditionis Conclusionis nostræ ~~primo membro~~ veritatem non inficiantur, sic enim scribit Molinæus insignis Minister Calvinianus: Venerentur Catholici: Sanctos, eósque in exemplum proponant, sed non eos invocent. Et Carolus I. Angliæ Rex in suâ responsione ad Cardinalem Peronium: Sua Majestas veneratur Martyres, et alios Sanctos modò cum Jesu Christo regnantes, nec dubitat, quin orent pro Ecclesiæ necessitatibus; fiducitérque credit, ipsorum orationes non esse inutiles. Dallæus quoque in suâ Apologiâ: Hæc ipsa Roma, inquit, de quâ conquerimur, à potiori nobiscum convenit: enimverò quamvis variis creaturis magnos honores exhibeat: semper tamen agnovit, certam quamdam dari obsequii seu cultûs speciem, qui nulli alteri nisi Deo exhiberi debet aut potest; hunc cultum communiter adorationem latriæ appellat, ut ab aliis, quos ei, qui non est Deus, deferri posse arbitratur, eum distinguat. &c.

*Non de cultu civili, de quo nemo dubitat, sed de religioso hîc nobis sermo est, quo Sanctos propter eximia sua merita, fidei constantiam, charitatis ardorem, infracti animi medijs in cruciatibus fortitudinem, immensum Religionis Christi tuendæ ac propagandæ studium, cæteráque cœlestia, quibus à Deo cumulati fuerunt, dona; verbo, propter eorum laudabilem honoramus et veneramur, et sic per hunc cultum ipsis à nobis exhibitum Deum colimus et adoramus, qui dona sua in Sanctis coronat, et ita cultus hic noster ad Deum tendit.

374.
5.

Prob. 1ª pars ex S. Scripturâ. Genesis 18. v. 2. De Abrahamo dicitur: cucurrit in occursum eorum §. Angelorum: / De ostiô tabernaculi sui, et adoravit in terram. Ibid. c. 19. v. 1. Loth adoravit §. Angelos: / pronus in terram et dixit: obsecro Domine §. Josue 5. v. 15. 14. et 15. Vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, et ait: noster es, an adversariorum? Qui respondit: nequaquam; sed sum Princeps exercitus Domini, et nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram et adorans ait, §. Tobiæ 12. v. 16. Tobias pater et filius Raphaelem Angelum adorarûnt, ceciderunt super terram §. Quibus locis adoratio non supremum Latria cultum, sed alium longè inferiorem significat, religiosum tamen non purè civilem ac politicum: Sancti nempe viri illi in Angelis honorarûnt eximiam eorum Sanctitatem, dotes supernaturales, quibus cum Deô intimè conjunguntur: at eadem est ratio de hominibus beatis ac de Angelis, ut patet. Ergò si Angeli, quemadmodum adducti S. Scripturæ textus declarant, piè ac licitè colantur cultu religiôsô, eo quoque piè ac licitè coli possunt, qui cœlesti beatitudine cum Christô fruuntur, atque Deo in omni Sanctitate intimè conjunguntur.

Col. 96.

Et verò 3. Reg. c. 18. v. 7. hæc leguntur: cumque esset Abdias in viâ, Elias occurrit ei, qui cùm agnovisset eum, cecidit super faciem suam. Honor autem, quo Abdias Eliam hîc prosecutus est, non fuit honor politicus et civilis, qui alicui exhibetur propter secularem aliquam eminentiam et potestatem; neque enim Elias, habitâ ratione societatis politicæ ac civilis, superior erat Abdiâ, qui

unus erat è regni Proceribus, atque Dispensatoris Domus Regis Achab munere fungebatur. Ergò erat cultus Religiosus, hoc est, Elia exhibitus propter excellentiam suam Spiritualem et Supernaturalem, qua eminebat, Sanctitatem nempe et Spiritum prophetiam, quo eum præditum esse cognoverat. Item, ut alia plura loca omittamus, lib. 4. Reg. c. 2. v. 15. Cùm filii Prophetarum intellexissent Elia Spiritum in Eliseum transiisse, venientes in occursum ejus adoraverunt eum ~~eum~~ proni in terram cultu nempe religioso ob prophetiæ Donum, quo eminebat Eliseus; nam, ut dictum, hic cultus creaturis defertur propter dotes Supernaturales, ac præsertim eximiam, quâ eminent, Sanctitatem.

Quod si ergo licitum est homines in hac mortali vitâ degentes, corruptioni, miseriis et infirmitatibus corporis, quod gestant, obnoxios religiosô cultu prosequi, quantò magis licebit Sanctis hac miserâ mortalitate exutis et visione Dei plenè fruentibus similem imò majorem exhibere cultum.

Consonat Traditio SS. Patrum. Debemus, inquit S. Ambrosius* serm. 6. reddere illis honorificentiam, qui nobis Salutem profusione sui sanguinis peperierunt.... Quisquis ergò honorat Martyres, honorat et Christum; et qui spernit Sanctos, spernit et Dominum. * obiit an. 394.

S. Gregorius Nazianzenus, orat. in laudem Cyriaci Martyris. Cyriacus, ait, ferè nobis effluxit, ô grave damnum! idque vos passi estis, qui in eum maximè suspicitis, annuisque honoribus festisque celebratis. 2 obiit an. 390.

*Eusebius, lib. 7. Hist. c. 19. refert summâ reverentiâ servatam fuisse S. Jacobi Hierosolymitani Cathedram; cujus reveren- † obiit 340.

tia causam et rationem reddit his verbis: Satis perspicuè declarantes, qualiter tùm antiquiores, tùm nostri temporis Christiani, vivos Sanctos ob ipsorum erga Deum amorem debitô semper honore venerati sunt, et hactenus venerantur.

†obiit 420.

*S. Hieronymus, Ep. ad Riparium de erroribus Vigilantii, Honoramus, inquit, Servos, ut honor Servorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit.

†obiit an. 430.

*S. Augustinus, Serm. 1. de SS. Petrô et Paulô, Beatissimum Petrum piscatorem, inquit, modò genibus provocatis adorat gentium multitudo credentium. Et lib. 20. contra Faustum, c. 21. Populus Christianus, inquit, memorias Martyrum religiosâ solemnitate concelebrat... colimus Martyres eo cultu dilectionis et Societatis, quo et in hac vitâ coluntur Sancti homines Dei.... At illo cultu, qui græcè λατρεία dicitur, latinè uno verbô Dii non potest, cùm sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.

Col 7 p 9.

Ratio est, quia Sancti habent propriam ac supernaturalem excellentiam gratiæ Sanctificantis, luminis gloriæ visionis et amoris beatifici, quo redditi Dei amicitiâ dignos, et à fortiori honore, reverentiâ ac submissione nostrâ; quæ proinde ipsis licitè exhiberi possunt, et decenter impenduntur. Et verò utique tam licet cultu religiosô

prosequi Sanctos ob eximias eorum dotes Supernaturales, quàm liceat cultu politicô et civili honorare viros Principes, aliosque in potestate constitutos, vel aliquâ in Scientiâ aut arte insignes.

Prob. 2da pars Conclusionis. Nam quæ sunt digni cultu Dulia*. Quia sunt digni cultu, qui sit inferior Latriâ, et major politicâ. Sed talis est Dulia, vel Hyperdulia: non est autem Hyperdulia, quia eorum excellentia non est unico subjecto eximiè singularis. Ergo est Dulia. Major constat, nam adoratio proportionatur excellentiæ, in qua fundatur, et est in eorum ordine. Excellentia autem Sanctorum, cùm sit finita et creata, est infinitè inferior excellentiâ divinâ; et cùm sit Supernaturalis, est major politicâ, quæ est naturalis. Igitur Sancti Angeli et homines ob suam excellentiam Supernaturalem creatam sunt digni cultu Dulia, qui est medius inter Latriam et adorationem politicam. Dulia autem quâ digni sunt Sancti, est absoluta, non relativa duntaxat*. Nam adoratio absoluta est ea, quæ fundatur in excellentiâ propriâ et intrinsecâ personæ, quæ adoratur. Excellentia autem Sanctorum est ipsis propria et intrinseca, cùm consistat in gratiâ Sanctificante et gloriâ, quæ ipsis inhærent, illorque in excellenti gradu perfectionis et Sanctitatis constituunt. 6.

* Dulia vox græca latinè redita idem est ac Servitus. Hyperdulia verò idem ac Supraservitus seu majorservitus, et obsequium.

Prob. 3a pars Conclusionis. Nam B. Virgo Maria habet excellentiam Supernaturalem creatam, omninò eximiam ac Sin- 7.

* Quid sit adoratio absoluta, quid relativa diximus Sup. c. 6. §. 8. de adoratione Christi pag. 350. ubi vide.

gularem sibi propriam et intrinsecam congè
prestantiorem excedentiâ Angelorum et
hominum, consistentem tùm in gratiâ ha-
bituali et gloriâ excedentissimâ ipsi physi-
cè intrinsecâ, tùm in dignitate materni-
tatis Dei, quæ ei moraliter intrinseca est.
Ergo B. Virgo Maria est digna Juliâ quâ-
dam singulari et eximiâ, quæ multi al-
teri puræ creaturæ convenit, quòque hy-
perdulia dicitur, quasi Superdulia, nam
cultus proportionatur excedentiæ. Unde
de ipsâ sic ait S. Ambrosius l. 2. de Virg. supra
jam à nobis laudatus, Quid nobilius Dei Ma-
tre? & quid splendidius eâ, quam splendor ele-
git? Hinc effectum est, ut quovis sa-
culò fidelibus persuasum fuerit, plurimum
eam suis precibus apud Christum valere. Au-
gustinus lib. De Sanctâ Virginitate c. 6. docet,
Mariam non tantùm naturalis corporis Chris-
ti matrem esse, sed etiam mystici, quod est
Ecclesia. Mirum igitur non est, quòd Chris-
tiani ad eam tanquam filii ad matrem
semper confugerint, eámque eo nomine
supplices invocaverint. Fatentur Protes-
tantes totam Ecclesiam tùm in Occidente
tùm in Oriente, quartò sæculò B. Virginem
Mariam religiosè et præ cæteris Sanctis co-
luisse, ejúsque opem et auxilium invocasse,
fateantur ergo, necesse est etiam, Patres ter-
tii, secundi, et primi sæculi, ipsosque Apos-
tolos idem B. Virginis Mariæ cultum, eum
illam invocandi morem ad praxim reduxisse;
alioqui ostendant nobis, quandonam, in
quo locò, quo autore, quibus præsidiis ins-
titutus fuerit, et ubique invaluerit cultus
ille. Certè huc valet idem S. Augustini
lib. 4. de Baptismò, c. 24. Quod universa te-

nec Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi autoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.

Ex dictis colligitur, piè ac religiosè in honorem Deiparæ et aliorum Sanctorum unà cum Christo in cœlis regnantium institutos fuisse dies festos, eisque Oratoria, Basilicas, Memorias fuisse erectas, et adhuc erigi. Nam festorum institutio est determinatio quorumdam dierum, quibus Sancti peculiariter honorentur, eorum virtutes laudibus celebrentur, ad eorum imitationem excitemur, petamusque eorum apud Deum orationes, et Deo sacrificium offeramus in gratiarum actionem propter beneficia ab eo in Sanctos collata. Atqui hujusmodi determinatio est pia, cùm cultus Sanctorum sit pius, rectus, ac sacer, ut probatum est, hicque eorum cultus redundet in honorem Dei, cujus sunt amici. Ergò festorum institutio ad honorandum Sanctos pia est et recta. Undè etiam meritò Deiparæ et Sanctis erecta fuêre et adhuc eriguntur à Christianis Oratoria, Basilicæ, Memoriæ, à Græcis indiscriminatim Templa vocata*; in quibus hujusmodi pietatis officia exercerentur et exerceantur. Nullâ quippe, quæ Scripturis aut Patrum Traditione contineatur, lege prohibitum est, ne Oratoria, Basilicæ, Memoriæ Sanctis unà cum Christo in cœlis regnantibus consecrentur. Ergò cùm, ubi non est lex, ibi neque sit prævaricatio, Christiani, à quibus id fit, non peccant. Et verò primoribus illis etiamnum temporibus, quibus adversarii nostri Protestantes fatentur puriſſimam seu omnis labis expertem fuisse Ecclesiam, Oratoria, Basilicæ,

8. Col 8. p 8.

* Latini verò passim Templa à Basilicis distinxerunt: illa soli Deo consecranda esse docuerunt: Oratoria verò et Basilicas Sanctis, unà cum Christo in cœlo regnantibus: Sed hûc deromine his esse videtur. Dicamus ergò Templa Deo consecrari in honorem Sanctorum. Vide S. Aug. lib. 12. de Civ. Dei, c. 10.

380. Memoriæ Sanctis cùm Christô in cœlis regnantibus consecrata sunt. Enimverò Concilium Gangrense sub Sylvestrô Papâ, paulò pòst Concilium Nicænum I. Oecumenicum, celebratum* et cui præsedit Osius Cordubensis, can. 10. de Martyrum Basilicis loquitur, eaque probat. Idem præstat Synodus Laodicena sub Damasô Papâ, can. 51.*

*Sæculô 4to sed quo annô incertum.

*Eodem sæculô sed incertô etiam annô.

Patres Concilii Ephesini I. Oecumenici III.* dicunt, se convenisse in Sanctissimâ Ecclesiâ quæ dicitur Maria. Patres Calcedonenses in Actis Concilii* dicuntur congregati in Ecclesiâ Sanctæ ac triumphantis Martyris Euphemiæ. Et Canone ultimô de Martyrum Basilicis faciunt mentionem.

*anno 431. celebratum fuit, sub Cœlestino Papâ I.

*an. 451. sub Leone Papâ I.

Concilium quoque Carthaginense V.* can. 14. vetat, ne Ædes* ullî Martyri ædificentur, nisi ibi sit aut corpus, aut aliqua ejus reliquiæ, aut in eo locô Martyr aliquamdiu fuerit commoratus, aut Martyrium passus.

*anno 398. celebratum.

*Ædes Martyribus dicata nihil aliud sunt, quàm ingentes tumuli, qui Martyribus consecrati fuerent. Hi verò tumuli nonnunquam Ecclesiæ nuncupati fuerunt, eoquòd ad eos populi fideles ad colendos Martyres congregarentur.

S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 16ta meminit Ecclesiæ Apostolorum Jerosolymis in locô, ubi Spiritus Sanctus in Apostolos descenderat, erectæ.* S. Athanasius in Epistolâ ad Solitarios nominat Templum Sancti Quirini.*

*obiit S. Cyrillus Jerosolymitanus an. 386.

*obiit S. Athanasius an. chr. 371.

S. Gregorius Nazianzenus, Orat. in Julian. Scribit, Gallum et Julianum Cæsarem Manes Martyri ingentibus sumptibus erexisse.* S. Chrysostomus, Hom. 28. ad populum Antiochenum, Ad veras, inquit, et regias Ecclesias dico, et oratorias Ædes, et Martyrum Templa.* Eusebius, lib. 4. de vitâ Constantini, c. 58. Scribit inter alia, Templum elegantissimum à Constantinô Sanctis Aposto-

*obiit S. Gregorius Nazianzenus an. chr. 390.

*obiit S. Chrysostomus an. chr. 407.

lis erectum fuisse Constantinopoli*. Evagrius, qui annô duodecimô, ut ipsemet scribit lib. 6. Hist. Eccles. c. 24. Mauritii Imperatoris Principatûs, Christi 594. Historiam suam finivit, lib. 3. c. 8. Templi S. Thecle à Zenone extructi meminit. Hæc ex Orientalibus.

381. * obiit Eusebius Cesariensis an. Chr. 340.

Non in Oriente tantum, sed etiam in Occidente mos, de quo agitur, obtinuit: S. Ambrosius, qui annô Christi 397. mortem oppetiit, lib. 1. Ep. 5. ad Felicem Episcopum Comensem, sic loquitur: Ortus est sermo de Basilicâ quam condidit Apostolorum nomine dedicandâ. Sic etiam Hieronymus* lib. contra Vigilantium, Ingredere Basilicas Martyrum. Tandem Patres omnes, qui ad hoc usque tempora à quartô sæculô vixerunt, ad exemplum eorum, qui præcesserant, probarunt usum de Basilicis, Oratoriis, Ædibus, Memoriis: ea enim nómina rem eandem significant: aut Martyribus aut Sanctis Confessoribus consecrandis; ac proinde Novatores sæculi decimi sexti, qui praxim idam insimulant idololatriæ, crimen illud impingunt Ecclesiæ, quam prioribus temporibus purissimam ac sanctissimam fuisse confiteri coguntur.

* obiit S. Hieronymus an. Chr. 420.

Festorum in honorem Sanctorum 9. institutis autem ab ipsis Ecclesiæ muniabilis apud Christianos est in usu. Constitutiones Apostolicæ, quæ vulgò Sancto Clementi tribuuntur, præscribunt fidelibus, ut diebus S. Stephano et aliis Martyribus sacris, temperent ab operibus quæ servilia vocantur: In die autem Stephani protomartyris, item vacent; ac reliquis diebus Sanctorum Martyrum qui Christum vitæ

Initiô Sæculi Secundi Ecclesiæ Christi.

Suo anteponerunt. *Ecclesia Smyrnensis in epistolâ, quam de martyriô Polycarpi, qui Joannem Evangelistam audierat, scribit ad Ecclesias Ponti, recenset, tanquam usum multô tempore jam probatum, morem festos in honorem Martyrum celebrandi dies: sic enim legitur apud Eusebium historiæ lib. 4. c. 15. Ossa illius [Polycarpi] gemmis pretiosissimis et gravis auró puriora colligentes, ubi decebat, condimus. Huc etiam in locô nobis, si fieri poterit, convenientibus, concedet Deus natalem ipsius martyrii diem cum hilaritate et gaudiô celebrare, tùm in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tùm ad posteros hujusmodi exemplô instruendos et confirmandos.

Vigebat et ille usus in Ecclesiâ Latinâ Cypriani temporibus*: liquidem lib. 4. Ep. 5. scribit se per Sacrificii oblationem Laurentii, et Ignatii, qui martyrium passi fuerant, agere memoriam: Quoties, inquit, Martyrum passiones et dies anniversariâ commemoratione celebramus, &c. Lib. 3. Ep. 6. Clero præscribit, ut diem, quâ Martyres passi fuerint, diligenter Litteris commendent, Ut, inquit, commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Nomine verò Martyrum S. Doctor non eos tantùm intelligit, in quos aut igne aut gladiô animadversum fuerat, sed eos etiam, qui in carceribus pro Christi causâ obierant: Qui inquit lib. 5. ep. 6. Etsi torti non sunt, in carcere tamen glorioso mortis exitu exiedunt. Neque enim virtus eorum aut honor minor est, quo minùs ipsi quoque inter beatos Martyres aggregentur.

Post tertium Sæculum in honorem

*obiit S. Cyprianus an. Chr. 258.

Ol 2 p. 10

Sanctorum, qui in solitudine vitam egerant 383.
pietatémque sive dum viverent, sive post
mortem, miraculis probaverant, instituta
fuerunt festa: Scilicet vita per multos annos
in poenitentiæ exercitiis transacta, habita
fuit martyrii loco: Secura esto Eustochium,
inquit S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, ma-
ter tua longo martyrio coronata est. Non
solùm enim effusio sanguinis in confessione
reputatur, sed devota quoque mentis servi-
tus immaculata quotidianum martyrium
est: unde et in Cantico scribitur Canticorum:
Fratruelis meus candidus et rubicundus: et in
pace et in bello præmia eadem vincentibus
tribuens.

Cæterùm licèt, ut jam diximus, Vir- 10.
ginis Deiparæ cultus ab ipsis Ecclesiæ incu-
nabulis in usu fuerit, festa tamen in
illius honorem instituta eâdem antiqui-
tate non commendantur. Festum Nati-
vitatis cœpit circa annum millesimum:
de eo enim tanquam de re nuper institu-
tâ circa annum 1000. Fulbertus sic loque-
batur, Serm. 1. de Nativit. Inter omnes
Sanctos memoria beatissimæ Virginis eò
frequentiùs agitur atque festivius, quò
majorem gratiam apud Dominum credi-
tur invenisse. Unde post alia quædam
ipsius antiquiora solemnia, non fuit con-
tenta devotio fidelium, quin Nativitatis
solemne superaddaret hoc biennium. Ex quo
Baronius arbitratur, Sermones de Nativi-
tate Deiparæ, qui antiquioribus Patribus
tribuuntur, revera non esse germanum
eorum fœtum.

Festum in honorem Conceptionis
novum erat S. Bernardi temporibus: sic enim
de eo loquitur Ep. ad Canonicos Lugdunenses,
Unde miramur satis, quòd visum fuerit

384. hoc tempore quibusdam vestrûm voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.

Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, scribit festum Purificationis B. V. Mariæ Justiniani temporibus institutum fuisse. Nicephorus Calistus narrat, eum edixisse, ut festus ille dies toto terrarum orbe celebraretur, quod Imperatoris hujus decretum Ecclesia ubique executioni mandari jussit.

* Justinianus paulo post Sæculi 6ti initium circa an. 527. Imperium adiit ac Imperator renuntiatus est.

Festi Annuntiationis B. V. Deiparæ in monumentis Græcorum non fit mentio nisi post Sextum Sæculum: prima illius memoria reperitur in Conciliô quinisextô seu potiùs Orientalium Præsulum conventu Constantinopoli in Trudô habito an. 692. ibi enim Can. 52. edicitur, ut per quadragesimam missa non fiat, præterquam Sabbatô et Dominicâ, et Sancto Annuntiationis Die. Ex quo tamen habetur, jam ante hujus conventûs tempora institutum fuisse istud Annuntiationis festum. Apud Latinos ejusdem festi meminit Concilium Toletanum X. an. 656. celebratum, cap. 1.

† En integer Canon: In omnibus Sanctæ Quadragesimæ diebus, præterquam Sabbatô et Dominicâ, et Sancto Annuntiationis die, fiat Sacrum præsanctificatorum mysterium. id est, tantùm præsanctificata offerantur, ut moris est apud nos Sancto Parasceves die. Præsanctificatorum Liturgiam, inquit Balsamon in hunc locum, non intelligimus Sacrificium incruentum; sed adductionem seu oblationem Sacrificii jam antea peracti et oblati.

Mox laudatus Baronius in notis ad Martyrologium Romanum asserit, festum Visitationis B. V. Mariæ institutum fuisse ab Urbanô Papâ VI. et circa an. 1389. promulgatum à Bonifaciô Papâ IX. et tandem annô 1441. à Conciliô Basileensi.

Circà finem Sæculi 5ti primùm prodierunt libri, qui Dionysio Areopagitæ tribuuntur; ubi c. 3. art. 2. lib. de Divinis nominibus, hæc leguntur: Cùm et nos, et ipse, plurimorum Sanctorum fratrum

nostrorum ad corpus illud, quod dedit principium vitæ, Deumque susceperat, contuendum veniremus; aderat autem et frater Domini Jacobus et Petrus &c. Hæc verba fundamento fuerunt sententiæ, in quam ierunt Ecclesia non de morte tantùm, sed etiam de resurrectione et assumptione B. Mariæ Virginis in cœlum; quamquam nonnulli crederent in Dionysii textu legi vocem ἤρατος, quæ significat sepulchrum, non autem σῶματος, quæ significat corpus: hoc est, quamvis nonnulli censerent Dionysium eo in loco non de corpore Mariæ Virginis, sed de Christi sepulchro locutum fuisse, quod absurdum omninò videtur, opposita tamen meritò prævaluit sententia, indéque conclusum est, Mariæ corpus, quod in terris nullibi reperitur, in cœlum unàcum ejus animâ assumptum fuisse. Non multò post instituta est ejusmodi Assumptionis memoria. Concilium Moguntinum, quod an. 813. celebratum est, Assumptionem in festorum catalogum retulit; relata est pariter in Capitularibus jussu Caroli Magni promulgatis. Qui à Conciliis Moguntinis temporibus scripserunt eâdem ratione locuti sunt; ii etiam, quibus visum est, articulum de Assumptione Mariæ Virginis in aliquo œcumenicò Concilio expressè non fuisse definitum. Instar omnium sit Petrus Blesensis, qui serm. 28. hæc habet: Hodie verisimile est, quòd Beata Virgo et anima beatitudinem, et corporis glorificationem adepta est. Quod ne cui veniat prorsùs in dubium, authoritatibus astruimus, opinando tamen, non asserendo. Si quis articulum de quo ita locutus est Petrus Blesensis jam impugnare auderet, ad minus summæ temeritatis

386. notâ afficiendus esset, si potiùs non omninò damnandus. Vide Baronium in notis ad Martyrologium Romanum.

ii. Ex dictis etiam colligitur, Vota Sanctis laitè et piè nuncupari posse, non tamen propriè, sed impropriè tantum. Votum enim propriè sumptum ac strictè apud Theologos post S. Thomam*, est promissio facta Deo tanquam primo principio et bonorum omnium autori. Atqui votum sic sumptum Soli Deo nuncupari potest: sic enim acceptum, est Latriæ cultus. at Votum latè et impropriè acceptum, est promissio facta de bonô aliquo, in signum gratitudinis ob acceptum aut accipiendum beneficium aliquod. Atqui sic sumptum Sanctis unà cum Christô regnantibus utique nuncupari potest: neque enim minùs fieri potest Sanctis cum Christô regnantibus quàm iis, qui adhuc in terris degunt: ac proinde cùm, sic acceptum, fieri possit Sanctis adhuc in terrâ degentibus, prout patet, neenon quotidiana docet experientia; nihil quoque vetat, quin Sanctis cum Christô regnantibus nuncupetur.

* 3. p. q. 25. a. 3.

Nos, inquit Eusebius lib. 13. præparat. Evang. c. 7.* qui vera pietatis milites, ut Dei amicos honorantes admonumenta idolorum Martyrum accedimus, votaque illis faciamus, tanquam viris Sanctis, quorum intercessione ad Deum non parùm juvari profitemur.

* obiit an. 340.

Theodoretus, qui obiit an. 460. vel 470. lib. 8. de curandis græcorum affectionibus, postquam dixit varia à Martyribus peti, Hic inquit, fideliterque precatos [Martyres] ea maximè consequi, quæ desiderant, testantur ida, quæ votorum rei persolvunt; nam alii quidem oculorum, alii pedum, alii ma-

nuum simulacra suspendunt ex argento, auróve confecta.

Gregorius Turonensis, qui an. 596. è vitâ excessit, lib. 2. historiæ Francorum, meminit voti, quod Regis Clodovei nomine ministri Regii S. Martino nuncuparerunt: Domino, ait, gratias agentes, et vota beato Confessori [i. Martino:] promittentes, lati nuntiaverunt Regi, &c. Immeritò igitur Sancti Decimi Sexti Novatores Catholicos arguerunt, quòd vota latâ sumpta et impropriè Sanctis unà cum Christo regnantibus nuncupare soleant.

Solvuntur argumenta, quæ contra Sanctorum cultum, festa, Basilicas, vota, à Protestantibus objiciuntur. 12.

Ob. 1°. Illud Deuteronomii c. 6. v. 13. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Et illud 1. Tim. c. 1. v. 17. Soli Deo honor et gloria. Ergò, &c.

Resp. neg. cons. In illis textibus agitur de cultu latriæ, quia soli Deo debetur, non de cultu duliæ, quæ Sanctis exhibetur.

Inst. Servitus soli Deo debetur. ergo et submissio, ideoque adoratio.

Resp. dist. ant. Soli Deo debetur servitus summa et primaria, quâ alicui ut supremo rerum omnium Domino servitur, conc. Servitus inferior, quâ quis humiliat alicui propter ejus excellentiam ac superioritatem se submittit, neg. ant. Hæc enim creaturis exhiberi potest, atque dulia vocatur, latria verò soli Deo debetur.

Ob. 2°. Esther c. 3. v. 2. Mardochæus 13.
noluit adorare Amanum. Ergo credebat adorationem creaturæ exhibitam non licere.

Resp. neg. cons. Noluit Mardochæus adorare Amanum, quia Aman non merebatur.

388. Ethnicus ide exigebat adorationem latriæ, vel saltem genuflexionem, ibid. v. 2. quæ ex usu Judæorum nonnisi soli Deo exhibebatur communiter, Regibus verò et Principibus rarò, nec nisi ob gravem causam. Quare Mardochæus Amanum adorare noluit per genuflexionem, ne hæc adoratio scandalum pareret. Certè Abraham adorare non dubitavit filios Heth, genes. 23. adoratione scilicet politiâ et civili, ut et Bethsabee Regem David, 3. Reg. c. 1. v. 16. Quòd si talis ea fuit adoratio, quam Aman exigebat à Mardochæo, tamen meritò illi eandem exhibere recusavit, tum quia, ut diximus, eam Aman non meruit, tum quia, ut diximus, eam Aman non meruit, tum ne scandalum inde apud Hebræos oriretur.

14. ob. 3º Act. c. 10. Petrus Cornelium procidentem, ut eum adoraret, prohibuit dicens: Surge, et ego ipse homo sum. Ibid. c. 14. Paulus et Barnabas recusarunt adorationem ut illicitam, quam illis exhibere volebant Lycaones. Et Apocalypsis c. 19. Angelus Joannem volentem illum adorare prohibuit his verbis: Vide ne feceris. Conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Ergo.

Resp. neg. cons. ad textus adductos Resp. et quidem quod spectat 2dum apertum est latriæ cultu Lycaones voluisse adorare Paulum et Barnabam, unde mirum non est, quòd hi Apostoli tam sollicitè caverint, ne sibi hujusmodi cultus ab ipsis deferretur. Apparuit hoc, inquit S. Augustinus*, in Paulo et Barnaba, cùm commoti miraculis, quæ per eos facta sunt, Lycaonii tanquam Dijs immolare voluerunt.

* lib. 20. contra Faust. c. 21.

Ad 1mum et 3tium fatemur quidem, Cornelium Petro, et Joannem Angelo unum Dulia cultum, non autem Latriæ, exhibere voluisse, sed negamus, cultum illum sive

Resp. 13

Petrum, sive Angelum improbasse; idum autem sibi exhiberi noluerunt solius humanitatis et modestiæ causâ, eâ fermè ratione, quâ viris, à quibus exteriùs colimur dicere solemus, ut, cooperiant caput, et ne coram nobis procumbant, aut sicut Rex, qui in genua procumbenti, ut beneficium aut veniam abeo obtineat, dicit: Surge; unde cùm eâ agendi ratione non censeatur Rex externum honoris signum à lubritô exhibitum damnare: ita nec idud Petrus in Corneliô, aut Angelus in Joanne damnarûnt. De factô Cornelii, hoc faciens, inquit S. Chrysostomus*, humilitatem suam ostendit: Cornelius: et alios docuit, Deóque gratias agit ac declarat, quòd licèt jussus sit, tamen et per se multam habeat promptitudinem. Quid igitur Petrus? Surge, nam et ego homo sum. Vide quomodo pro aliis doceat, nihil de se magnum sentire. Eâdem quoque ratione tentum idum interpretatur Gregorius Magnus*. Sic horum Patrum interpretatio optimè facto Joannis Apostoli et Angeli adaptatur. Ex humilitate Joannes adorare voluit Angelum, hic honorem istum ab hoc S. Apostolo sibi delatum respuit, non ut sacrilegum et illicitum, absit, sed pro suâ modestiâ et observantiâ in tantum virum, etsi naturâ minorem, dignitate tamen Apostolatûs, sanctitate et gloriâ martyrii sibi non imparem, fortè etiam majorem; atque ut illius dignitatem magis commendaret, addit Deum adora, quasi isthoc loquendi modô diceret, tanta est tua dignitatis eminentia, ut tibi minimè conveniat adorare creaturas, quippe quarum potiùs est, ut te adorent; tu ergo solum Deum adora. Aliàs, prout supra ostendimus*, Angeli boni se ab hominibus adorari passi sunt.

* Hom. 28. in c. 10. Act.

* Lib. 2i. Moral. c. 10.

* Conclus. prob. 1a pat.

390.
15.

Inst. S. Hieronymus, lib. contra Vigilantium, c. 3. scribit et Cornelium et Joannem voluisse externô signô, de quo Scriptura loquitur, Petro et Angelo latricæ cultum exhibere. Ergo nullum alium religionum agnovit sanctis exhibendum. Bb. ant. ipsis hujus S. Doctoris verbis: Nam, inquit, Paulus et Barnabas cùm à Lycaonibus Jupiter et Mercurius putarentur, se homines esse dixerunt, quòd sub gentilitatis errore honoris Deo debitus deferretur. Quod et de Petrô legimus, qui Cornelium, se adorare cupientem, manu sublevavit, et dixit, Surge, nam et ego homo sum. S. Augustinus, lib. de verâ religione c. 55. sic etiam de alterô textu ex Apocalypsi petitô loquitur: Retè itaque scribitur, hominem ab Angelo prohibitum, ne se adoraret, sed unum Deum, sub quo ei esset et ipse conservus. Ergò idem sensit ac S. Hieronymus.

Resp. 1°. neg. utramque consequentiam. Equidem hi duo SS. Doctores textus, de quibus agitur*, explicarunt de cultu latricæ, quamvis malè, nostrô quidem, et omnium fermè theologorum judicio. At falsum est, eos non alium religionum, præter latricæ, cultum agnovisse, nam variis in locis, prout ex adductis in conclusione nostrâ ipsorum testimoniis liquet, alium, qui latriâ minor sit, quemque dulia ultimum vocamus, agnoverunt.

* act. 10. et Apocalyp. 19.

Resp. 2°. nec Hieronymum, nec Augustinum ex professô locis laudatis tractare textus, qui ex actis, et Apocalypsi objiciuntur: undè cùm asseruerunt adorationem tùm à Cornelio tùm à Joanne exhibitam intelligi de adoratione latricæ, se gesserunt Scriptorum more, qui de argu-

mentô aliquô tractantes, ad illud reducunt ea 391. Col C. p. 14.
omnia, quæ aliquam argumenti speciem
referunt: unde mirum non est, quòd cùm
ostendere vellent, latriæ adorationem soli
Deo exhibendam esse, in thesis istius confir-
mationem protulerint tùm Petri, tum
Angeli factum, qui vetuerunt, ne sibi
aut à Cornelio, aut à Joanne adoratio
aliqua deferretur.

Ob. 4tò Illud Colos. c. 2. v. 18. et 19. 16.
ubi, Nemo, inquit Apostolus, vos seducat,
volens in humilitate et religione Angelo-
rum, quæ non vidit ambulans, frustrà
inflatus sensu carnis suæ, et non tenens
caput, ex quo totum corpus ..... crescit &c. Ergò.

Resp. neg. cons. Ibi Apostolus
agit contrà quosdam hæreticos, qui, hausta
tô à Platonicis errore, docebant Angelos
non pendere à Deô, et esse conditores hujus
mundi, ideoque cultu latriæ adorandos,
et honorem Christo debitum in illos trans-
ferendum, ut patet ex verbis sequenti-
bus, Et non tenens caput, &c. nempe Chris-
tum. Sunt quidam, inquit in hunc locum
S. Chrysostomus, qui dicunt non posse per
Christum ad Deum, sed per Angelos, scilicet
ad Deum. Et Theodoretus lib. 3. hæretic.
fabul. c. 4. Idi [: Simon et ejus discipuli :]
hoc consulebant, utrique humilitate
utentes: dicentes universorum Deum nec
cerni nec comprehendi, nec ad eum per-
veniri posse; et oportere per Angelos di-
vinam sibi benevolentiam conciliare.
Quocirca Synodus, quæ convenit Laodiceæ*
quæ est Phrygiæ Metropolis, lege pro
hibuit [: can. 35. :] ne precarentur Angelos,

* hæc 4. sub Da-
maso Papâ, an.
incertô.

et in hodiernum usque diem licet videre apud
illos et eorum finitimos oratoria S. Micha-
elis*. S. quoque Epiphanius de ha-
resi Simonis, ait ipsum docere, non posse
salvari aliquem, nisi sacrificia Patri
universorum per eos Principatus et Po-
testates obtulerit.

17. Ob. 5to Idololatria est creaturam
religione colere, solus enim Deus religione
colitur. Atqui Catholici Sanctos religione
colunt. Ergò Catholici re verâ sunt idola-
tra.

Resp. 1o Ecclesiam unquam de-
finiisse, Sanctos esse religione colendos; sed
meram esse Schola quæstionem, an cultus,
qui eis exhibetur, pertineat ad religio-
nem, an ad aliam virtutem; ac proinde
Novatores eo capite schisma facere non de-
buerunt.

Resp. 2o. Dist. maj. Idolatria est
creaturam colere religione propriè dictâ,
quâ religamur primo principio et ultimo
fini, conc. Religione impropriè dictâ,
quâ propter Deum honoramus res et per-
sonas sacras, v.g. templa, Ministros Deo
consecratos, vivos sanctitate conspicuos, et
ideò viva Christi membra, neg. maj. Nam
ex Jacob. c. 1. Religio munda et immacu-
lata apud Deum et Patrem, hæc est visita-
re pupillos et viduas. Vide S. Augustinum
lib. 10. De Civ. Dei, c. 1. ubi hanc distinctio-
nem fusè exponit.

18. Ob. 6to Idolatria est, templum
creaturis consecrare, creaturis aram erige-
re, juxta S. Augustinum, lib. 22. De Civ. c. 10.
item lib. 1. contra Maximinum Arianum, et

* In quibus videli-
cet eum colebant
cultu latriæ ei Sa-
crificando p. Scun-
dum hæresim Simo-
nis Magi. verùm
Baronius ad an. Ch.
60. n. 15. et seq. Theo-
doretum erroris ar-
guit, ut qui ex
malè intellecto Ca-
none 35. Concilii
Laodiceni cultum
Angelis abjudicare
velle videatur. fa-
cilè tamen Theodore-
tus eo, quem tue-
mur sensu intelli-
gi potest fuisse
locutus.

Serm. 6. in Evang. Matth. Atqui Sanctí una cum Christô in cœlis regnantes sunt creaturæ. Ergò idololatria est Sanctis templa conservare, erigere altaria, quod tamen fit in Romanâ communione. Col 9 p 15.

Resp. Dist. maj. Idolatria est, templum creaturis sacrificare, eis aram erigere, in ordine ad sacrificium, idest, ut eis sacrificatur, et invocentur tanquam summum bonum, conc. Uni enim Deo debetur sacrificium. In ordine ad opus aliud à sacrificiô, nempe in eorum memoriam, neg. maj. De Templô secundùm priorem sensum accepto loquitur S. Augustinus, non autem de Templô sumpto secundùm posteriorem sensum: unde ipsemet multis in locis asserit, memorias, Martyria, Oratoria, Basilicas Sanctis consecrari. Sed hoc, inquit lib. 8. de civ. c. 26. videtur Dolere, quòd Memoriæ Martyrum nostrorum templis eorum delubrisque luderentur.

Ob. 7mo Latria et Dulia idem si- 19.
gnificant. Ergo vanum est Catholicorum effugium, qui ut cultum, quem Deo exhibent, à cultu, quo Sanctos prosequuntur, distinguant, illum Latriam, hunc verò Duliam vocant, utrumque enim nomen istud veram servitutem significat.

Resp. Dist. ant. Idem significant ex vi nominis, seu secundùm etymologiam, conc. Ex usu in Ecclesiâ recepto, neg. ant. Ex usu Ecclesiæ Latria accipitur pro cultu summæ servitutis, quæ soli Deo debetur ob summam et infinitam ejus excellentiam: Dulia verò pro cultu alicujus servitutis inferioris, quo nos Sanctis submittimus ob supernaturalem eorum excellen-

tiam creatam, fundatam in gratiâ habituali, lumine gloriæ, fruitione Dei, atis-
que donis supernaturalibus à Deo acceptis.

20. Inst. S. Augustinus 6. 2. quæst. super Exod. n. 94. Dulia, inquit, debetur Deo tanquam Domino, Latria verò nonnisi tanquam Deo. Ergo Dulia est servitus qua Deo debetur, et quidem soli.

Resp. neg. ult. membrum consequentis. Vox Dulia à S. Augustino sumi videtur secundùm vim nominis: nam suo tempore nondum invaluerat usus eam accipiendi ad significandam servitutem Latriâ inferiorem. Verò Dulia propriè dicitur inferioris ad superiorem, latè verò cujuslibet obsequantiâ dignum propter excellentiam quæ in eo est, et hoc posteriori modo cultus Sanctorum dicitur Dulia. Cùm autem diversa sit excellentia, alia incommunicabilis, qualis est excellentia Creatoris, propter hanc cultus Latriæ statuitur à S. Augustino ita Creatori proprius, ut nudi Creaturæ communicari possit sine idololatriâ: alia communicabilis, qualis est excellentia Dominii, quam superiores participant, ita tamen ut sit suprema et plenaria in Deo: hinc idem Sanctus Doctor vult Dulian deberi Deo tanquam Domino. Sed quemadmodum aliâ Dulia in humanis debetur Regi, alia ejus Ministris; quia non est in utrisque eadem excellentia et potestas: sic Dulia, quæ exhibetur Domino increato et omnipotenti, differt à Dulia quæ Ministris ejus, Sanctis videlicet cum eo regnantibus, competit: Illa est omnimoda, hæc admodùm limitata, sicut et eorum excellentia, quæ est honoris et cultûs mensura, ac motivum. Quare si excellentia refulgeat ex naturalibus Dei donis, qualis est potes-

tas Dominorum temporalium, debetur ei cultus civilis, et quidem distinctus secundùm distinctos potestatis gradus*. Si ex donis supernaturalibus et eminentioribus, qualis est sanctitas, respondet cultus Religiosus, ex S. Augustino lib. 20. contra Faustum c. 21. supra Prob. 1. Conclusionis pag. 376. et priori longè perfectior, p.

* 1. Pet. 2. v. 13. et 14. Regi tanquam præcedenti, ducibus tanquam ab eo missis.

Vol 8. p. 16.

Ob. 8vo Apostolus Rom. 1. reprehendit Gentiles, quòd creaturæ servirent potiùs, quàm Creatori: et 1. Cor. 7. monet Christianos, ne fiant servi hominum. Atqui cultus quem Ecclesia Romana exhibet Sanctis, est servitus ex dictis. Ergo est omnino improbandus et prorsus rejiciendus. 21.

Resp. Dist. min. Cultus quem Ecclesia Romana exhibet Sanctis, est servitus aliqua, conc. omnimoda et soli Deo debita, neg. min. Hanc exhiberi creaturis prohibet Apostolus non illam. Certè Gentiles ex duplici capite fuerunt reprehensione digni 1o. Quia creaturæ tanquam Creatori et ejus loco serviebant, nempe cultu Latriæ. 2o. Quia vel Dæmones et homines in impietate defunctos, vel creaturas inanimes, ut Solem et Stellas, colebant, in quibus etiamsi quædam sit excellentia, ea nostrorum tamen non meretur cultum p. Textus autem 1. ad Corinth. 7. v. 23. non est ad propositum; nam Apostolus eo loci solùm prohibet, ne Christiani liberi fiant mancipia Infidelium sine necessitate: præcipit verò his, qui ex conditione suâ sunt servi, ut serviant Dominis suis, Ephes. 6. v. 5. Colos. 3. v. 22. Tit. 2. v. 9. Et S. Petrus 1. c. 2. v. 18. Servi, inquit, subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis et modestis, sed etiam discolis. 22.

Ob. 9no Ecclesia Romana cultum Sanctorum cum divino prorsus confundit, sacrificia in eorum honorem peragit, thymiama-

ta ipsis incendit, templa sic fulgent eorum stemmatibus, statuis et luminibus coram eis accensis, ut non Deo, sed homini defuncto constructa videantur. Ergo proscribendus est iste cultus.

Resp. Neg. ant. Latria enim, qua solus Deus adoratur, et Dulia, qua Sanctis colentur infinito intervallo à se invicem distant planèque distinguuntur in Ecclesiâ Romanâ, prout ex hactenus dictis constat. *Namque in cultu Latriæ 1°. mens concipit Deum ut rerum omnium adeoque et Sanctorum primum principium, Supremum Dominum et ultimum finem. 2°. Hoc titulo voluntas se suâque omnia ei totaliter subjicit et devovet: in quo actu Supremus cultus, qui à S. Augustino dicitur interius cordis sacrificium, essentialiter consistit. 3°. Corpus hujusce intimi sensûs profert signa exteriora, eorumque in laudes infinitæ Dei excellentiæ et majestatis, templa et aras ibi extruit, et sacrificia offert, quæ sunt determinata latriæ signa. Adhibet etiam prostrationes, thymiamata, lumina, &c. quæ licèt per se signa sint latriæ et duliæ communia, àm promiscuè usurpentur ad testandam reverentiam tum erga Principes, tum erga res sacras; ad latriam tamen per prædictos mentis et voluntatis actus determinantur.

In cultu verò Dulia, quo Sanctos prosequuntur Catholici, 1°. Intellectus eos sibi representat, non ut rerum auctores, sed ut Dei servos præstantioribus ejus donis ornatos, et eò feliciores, quò firmiùs ei adhærent, et perfectiùs famulantur. 2°. Hinc voluntas eo motivo mota et determinata se demittit, eique propter Deum christianâ charitate se quodammodò subjicit. 3°. Denique corpus hujusce reve-

* Cultus generatim tribus actionibus continetur, intellectûs seu mentis, quæ apprehendit excellentiam personæ voluntatis, quæ se demittit, et subjicit, corporis denique, tales sunt laudes, capitis detectio aut inclinatio, munerum exhibitio, quibus exprimitur interior animi sensus et affectio.

rentia sic limitata dat signa, non ad latri- 397.
am determinata, quale est Sacrificium, absit,
sed quæ sunt omni honori, etiam civili, com-
munia, ut genuflexiones, incensum, lumi-
na, statua et pictura, quæ ad Sanctorum imi-
tationem provocant, sicut et laudes eorum me-
ritis respondentes. Ecclesia Romana etiam
Sacrificia offert quidem, sed soli Deo, in hono-
rem Sanctorum duntaxat, quatenus nempe
sunt gratiarum actiones ob beneficia eis col-
lata, p. Ergo Ecclesia Romana cultum San-
torum cum Divino minimè confundit.

Inst. j°. At priusquam hujusmodi 23.
honos Sanctis concedatur, præcedere debet ca-
nonizatio, ut vocant. Atqui ritus iste spe-
ciem habet apotheosis* Gentilium. Ergo, ut-
pote gentilitatem redolens, proscribendus vide-
tur, adeoque et Sanctorum cultus.

* apotheosis non græca, latinè idem est, ac relatio inter Deos.

Resp. neg. min. Cum periculum sit,
ne plebs falsâ pietatis specie delusa hypocri-
tas et fanaticos tanquam vivos Sanctos colat,
Ecclesia semper cavit, ut ex S. Cypriano dis-
cimus, ne quis publicè pro Sancto haberetur,
nisi prævisset ejus examen et judicium.
Ab undecimo quidem sæculo majori solem-
nitate id præstat, cùm prius hoc ipso quis
declarabatur Sanctus, quo ejus reliquiæ in
altari recondebantur. Sed in illo ritu, quem
canonizationem vocant, nuda est honoris
testificatio, quæ in aliis Sanctorum solem-
nitatibus à primis sæculis usurpata non
fuerit. Neque ritus iste Gentilium apo-
theoseos similitudinem aliquam refert; nam
in apotheosi gentilium heroës ipsorum inter
Deos numerabantur, eisque divini hono-
res decernebantur: in canonizatione verò
Sancti declarantur fideles Dei famuli, et
eo titulo venerationi digni. Et sane, si

398. in verâ religione vitandum sit, quidquid erat in usu apud Gentiles, profectò nec Sacerdotes, nec Templa, nec Sacrificia, nec Sacramenta habere licet; hæc enim extabant apud gentiles.

24. Inst. 2°. In isto Sanctorum cultu multi irrepserunt abusus, ita ut plerique Catholici in eo creaturis potiùs serviant, quàm Creatori, ut potè ad quem in suis precibus vix attendunt, sed sua vota fere omnia ad Sanctos dirigunt. Ergò proscribendus est exemplò Ezechias Principis religiosissimi, qui 4. Reg. c. 18. confregit serpentem æneum, licèt jussu Dei erectum; quia filii Israël idum colebant, et incensum adolebant ei.

Resp. Dist. ant. Et illi abusus, si qui sint, ~~prob~~ non probat Ecclesia nec tolerat, sed corrigit, cone. probat, nec corrigit, neg. ant. Siquidem in rudioribus ex aliquâ simplicitate in Sanctorum cultu excedere videntur, hi, ubi innotuerint, statim ab Ecclesiâ corriguntur, nedum idcirco agendi ratio ab eâ probetur: nam ex S. Hieronymo, epist. ad Riparium, honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum. Imò cultus, quem Ecclesia exhibet Sanctis, est continua laus Dei et gratiarum actio pro beneficiis illis collatis per Jesum Christum Dominum nostrum, ut videre est in Officiô Sanctorum; unde si qui abusus in hoc Sanctorum cultu irrepserint, sicut in aliis divinis institutis contingere potest instigante Dæmone, eos prorsus aboleri agit Ecclesia, prout testantur Concilii Tridentini Patres Sess. 25. Tantâque inquiunt, circâ hæc diligentia, et cura ab

Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut 399.
propostèrè et tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cùm domum Dei deceat Sanctitudo.

Ineptè hîc ad abolendum cultum Sanctorum exemplum Ezechiæ Regis adducitur, ideò enim Rex iste Serpentem æneum confregit, quia filii Israël divinos honores illi deferebant. At proferri non potest vel unus è Catholicis, ne quidem rudioribus exceptis, qui latriæ cultum mox à nobis descriptum ad Sanctos transferat.

Inst. 3°. Dicendum, quid quid potest esse abusûs occasio. atqui Sanctorum cultu plures in Romanâ Ecclesiâ abutuntur. Ergò p. 25. Col 2 p. 18.

Resp. neg. maj. Nihil enim tam Sanctum, quo non abutantur perditi homines. Prohibenda esset Dominicæ diei requies, quæ est plurimorum criminum occasio: abolenda Dominica cœna, quia multi indignè ad eam accedunt: revocanda essent leges, ut cessaret prævaricatio. Si qui ergò inventi fuerint, qui Sanctorum cultu abutantur, hi abolendi corrigi debent, non verò propterea cultus ipse abolendus.

Ob. 10mo S. Epiphanius hæresi 79. aliquas mulieres reprehendit, quòd B. Virginem adorarent. Ergò res ipsa, multò minùs alii Sancti sunt adorandi juxtà Epiphanium. 26.

Resp. neg. cons. S. Epiphanius eas solùm mulieres reprehendit, quòd B. Virginem cultu latriæ colerent: quæ fuit hæresis Collyridianorum B. Virgini cultum latriæ deferentium. Porrò cùm B. Virgo dicitur à Patribus Salus mundi, regeneratrix,

400. restauratrix, et ab Ecclesiâ Mater misericordiæ, vita, et Spes nostra, intelligitur secundaria et per filium, quatenus scilicet nobis peperit Christum, qui est Salvator noster et Spes nostra; et quia ejus intercessio apud filium, qui est Salvator noster, et omnis gratiæ autor plurimum valet, et nobis ab eo gratias salutis obtinet.

27. Ob. ij^mo Voti nuncupatio est latriæ cultus: votum enim definitur in Scripturis et sumitur tantum pro promissione Soli Deo factâ. atqui in Ecclesiâ Romanâ vota Sanctis nuncupantur. Ergo in Ecclesiâ Romanâ latriæ cultus Sanctis exhibetur.

Resp. Dist. maj. Voti strictè sumpti nuncupatio est latriæ cultus, conc. Voti latè sumpti, neg. maj. Votum enim latè sumptum est qualibet promissio abstrahendo an Deo an creaturæ fiat. Votum hâc ultimâ ratione sumptum nuncupatur Sanctis, non autem priori ratione sumptum; ac proinde votum Sanctis nuncupatum, non est latriæ cultus: alioquin enim qualibet promissio in rebus, quæ ad religionem spectant, facta Præpositis Ecclesiasticis, esset latriæ cultus; quod ne ipsi quidem Protestantes admisturi sunt.

28. Inst. Votum accipi tantùm debet eo sensu, quo in Scripturis reperitur. atqui in Scripturis sumitur tantùm pro promissione Soli Deo factâ. Ergò immeritò detorquetur ad promissionem creaturis factam.

Resp. j^o Illud argumentum ipsos etiam antiquos et doctissimos Patres impetere, qui voti nomen ad promissiones, quæ creaturis fiunt extendêre.

Resp. 2°. neg. maj. Cùm enim voces ex hominum institutô, non autem ex naturâ suâ, sint significativæ, possunt pro variô usu et receptâ consuetudine, modò unum, modò verò aliud significare. 401.

§. Tertius. 29.

De Invocatione Sanctorum.

Quamvis qui, ut §. præcedenti annotavimus, inter Protestantes sunt magis eruditi et perspicaciores cultum, qui Sanctis exhibetur, non improbare videantur, tamen idorum invocationem velut idololatricam et Christi Mediationi ac Redemptioni oppositam rejiciunt, vestigiis Vigilantii Sæculi quartæ Hæretici, et Petrobusianorum Sæculi 12mi Hæresiarcharum insistentes.

Vigilantius enim, ut patet ex libro, quem adversùs eum labente Sæculo quartô S. Hieronymus scripsit, primus inter Christianos docuit, Sanctos in cœlis cum Christô regnantes nullô modô pro viventibus orare; undè concluxit eos invocari non posse aut debere.

Sæculô 12mô teste S. Bernardô Serm. 66. in Cant. Henriciani, seu Petrobusiani, et Apostolici apertiùs Sanctorum invocationi bellum indixêre: quippe qui docuerunt, impium esse per preces ad Sanctos recurrere. vol 3 p. 19.

Sæculô denique 16tô Lutherus, ut patet ex libris, quos ad Waldenses Scripsit, et Calvinus Institutionum lib. 1. c. 14. §. 12. quatuor contra Sanctorum invocationem docuerunt, 1° Ex divinis Litteris non haberi, quòd Sancti in alterâ vitâ pro viventibus orent. 2° Si Sancti orant, eos non orare nisi in genere pro totâ electorum

402. Ecclesiâ, non autem Specialiter, hoc est pro his aut illis hominibus in particulari. 3°. Inutile et illicitum esse Sanctos in coelis regnantes invocare, cùm, ajunt, viventium preces minimè cognoscant. 4°. Denique per eam praxim non parùm obscurari gloriam Christi, qui unicus est mediator noster et intercessor. Duos tenuti sunt Protestantes omnes.

At contrà Ecclesia Catholica docet, Sanctos in coelis cum Christô regnantes suas orationes Deo pro hominibus offere, proinde bonum ac utile esse eos invocare. Mandat, inquit Concilium Tridentinum sess. 25. Sancta Synodus omnibus Episcopis, et ceteris docendi munus et curam sustinentibus, ut fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos unà cum Christo regnantes orationes suas pro omnibus Deo offere, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda à Deo per filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere.

Consequenter ad hanc Concilii Tridentini doctrinam fatentur Catholici, nullum esse præceptum divinum invocandi Sanctos; imo nequidem existit Ecclesia præceptum, omnes et singulos Fideles ad invocationem Sanctorum obligans. Et verò nullum ejusmodi præceptum neque in Scripturâ, neque in Traditione, neque in decretis Ecclesiæ reperitur. De hoc igitur solùm quæstio est Catholicos inter et Protestantes, num scilicet Sanctorum invocatio licita bona et utilis sit*. Excipe

g gravi tamen culpâ non vacavit, et va-

B. Virginem, cujus Salutationem Angelicam cum ejusdem invocatione conjunctam ad discere tenentur fideles omnes ex universali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente.

tutis sua negligens haberetur, qui vel ex incuriâ, multò magis ex contemptu, tam pium ac laudabilem usum non observaret.

30.

Conclusio.

Bonum est atque utile invocare Sanctos, ut pro nobis ad Deum intercedant.

Prob. 1º Exemplis, quæ S. Scriptura suppeditat. Abraham gen. 18. in gratiam Sodomitarum Angelum invocavit. Etc. 19. Loth ab Angelo supplex postulavit, quod obtinuit, ne urbs Segor exitio deleretur: cui Angelus respondit: Suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es. Gen. 32. Jacob adversus Angelum luctatus est: cujus efflagitavit, et obtinuit benedictionem. Et c. 48. Joseph hanc Angelorum benedictionem pro filiis suis apprecatur. Et verò æquum est Angelorum opem apud Deum implorare, ut quorum cura ac tutela Deus nos commisit, Psl. 90. v. 11. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Qui pro nobis Deum deprecantur, Zachar. 1. v. 12. Domine exercituum, inquit Angelus ad Deum, usquequo tu non miserebaris Jerusalem et Urbium Juda, quibus iratus es? Qui orationes nostras Deo offerunt, Tob. 12. v. 12. Quando orabas, ait Angelus Raphael ad Tobiam, cum lacrymis .... ego obtuli orationem tuam Domino. Quòd si ergò Angelos invocare bonum et utile est, quid ni etiam bonum et utile erit Sanctos, qui æque Spiritus sunt ac ii, atque unà cum ipsis in cœlo regnant invocare?

Col 4to

Et verò non modò Angelos, sed et Sanctos pro nobis preces ad Deum fundere certissimis Scripturæ exemplis manifestum est. Exodi 32. v. 12. et 13. Moyses sic Deum orat: Esto placabilis super nequitiâ populi tui. Recordare Abraham, Isaac, et Israël servorum tuorum. Et Daniel. 3. v. 35. Azarias sic Deum deprecatur: Ne quæ auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israël sanctum tuum. Quibus locis Abraham, Isaac, et Jacob adhibentur tanquam Intercessores apud Deum. Unde etiam Job. 5 v. 1. ex vulgatâ utique sententiâ sic Jobum alloquitur Eliphas: Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere. Jeremiæ etiam 15. v. 1. De Moyse et Samuele jam dudum mortuis hæc per Prophetam dicit Deus: Si steterit Moyses et Samuel coram me, idest, etiamsi me deprecati fuerint, non est anima mea ad populum istum. Item lib. 2. Machab. c. 15. v. 12. Judas in visu vidit Oniam jam defunctum, qui fuerat Summus Sacerdos orare pro omni populo Judæorum. Ab eodem etiam Oniâ hæc audivit, v. 14. Hic est fratrum amator et populi Israël: hic est qui multum orat pro populo et universâ sanctâ civitate, Jeremias Propheta Dei.

Prob. 2°. Ex Traditione Ecclesiæ Patrum. In actis Martyrii tùm S. Ignatii in Antiochenâ Sede S. Petri post Evodium Successoris, tùm S. Polycarpi, qui Joannis Apostoli Discipulus fuit, legimus illos Sanctos Martyres à fidelibus hujus ætatis invocatos fuisse.

S. Irenæus, qui an. 201. vel 202. obiit, ac proindè sæculo secundo Ecclesiæ floruit, lib. 5. adversùs hæres. c. 19. Mariam

comparans cum Evâ, ait: Quemadmodum enim illa per Angeli Sermonem seducta est, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus; ita et hæc per Angelicum Sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens verbo ejus. Et si ea inobedierat Deo; sed hæc suasa est obedire Deo, ut virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata.

Origenes, qui obiit an. 254. Hom. 3. in Cant. Omnes Sancti, inquit, qui de hac vitâ decesserunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, et juvare eos precibus suis, atque interventu suo apud Deum; non erit inconveniens; Scriptum namque est in Libris Machabæorum, hic est Jeremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo Dei. Et Hom. 26. in c. ii. Num. Quis dubitat, inquit, quòd Sancti quique Patrum et orationibus nos juvent, et gestorum suorum confirment exemplis.

S. Cyprianus* Ep. 57. ad Cornelium † obiit an. 258. Papam, rogat, ut qui ex alterutro priore vitâ discesserit, pro superstite, aliisque fratribus divinam imploret misericordiam. Memores, inquit, nostri invicem simus, concordes atque unanimes, pressuras et angustias mutuâ charitate relevemus; et si quis isthinc nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio; pro fratribus ac sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.

Eusebius, qui obiit an. 340. lib. 13. Præp. Evang. c. ii. hæc ait: Quæ quidem in

hominum Deo charissimorum obitu egregiè conveniunt, quos veræ pietatis milites jure appellaveris. Nam et eorum sepulchra celebrare, et preces ibi votáque nuncupare, et beatas illorum animas venerari consuevimus, idque à nobis meritò fieri statuimus.

Col. §. p. 21.

S. Hieronymus*, lib. adversus Vigilantium, ex professo rem nostram agit. Dicis in libello tuo, inquit adoquens Vigilantium, quòd dum vivimus, mutuò pro nobis orare possumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio. præsertim cùm Martyres ultiones sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiverint. Si Apostoli et Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quantò magis post coronas, victorias et triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam; et Stephanus imitator Domini sui, et primus Martyr in Christô pro persecutoribus veniam deprecatur; et postquam cùm Christo esse coeperint, minùs valebunt?

* obiit an. 420. Scripsit autem contra Vigilantium circa finem 4ti Ecclesiæ Sæculi.

S. Augustinus*, Serm. 17. de verbis Apostoli, injuria est, inquit, pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.

* obiit an. 430.

Superfluum est ex quartô et subsequentibus Sæculis plura hic referre testimonia, cùm Protestantes ipsi fateri cogantur, usum invocandi Sanctos jam quartô Sæculô invaluisse ꝑ.

Prob. 3.tio Ex Conciliis. In Ephesinô, S. Cyrillus ejus Præses, beatum Joannem invocat in Oratione, quam ibi habuit die huic Sancto Sacrâ.

* celebratum fuit an. 431. sub Coelestino I. Papa.

In Chalcedonensi,* Act. ii. de S. Flaviano dicitur: Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis orat.

* 407. celebratum fuit an. 451. sub S. Leone summo Pontifice

In Nicæno II. quod est generale VII.* Act. 4. Sancitur, honorandos esse Sanctos, et eorum intercessiones postulandas, ut valentes nos familiares reddere Regi omnium Deo. Et Act. 6. Ergo, ait, cum timore Dei omnia faciamus, expetentes etiam intercessionem intemerata Dominæ nostræ et naturâ Dei genitricis Semper Virginis Mariæ, atque Sanctorum Angelorum, et simul omnium Sanctorum.

* celebratum an. 787. sub Adriano I. Papâ.

Accedit antiquissimarum ac ferè omnium Liturgiarum* usus, in quibus cum laude Sancti appellantur et invocantur, ut pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam veneramur in terris. Inter alias antiquissimas Liturgias hæc in eâ, quæ S. Jacobo tribuitur legere est: Sanctissimæ, inviolatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ, Dei genitricis, et Semper virginis Mariæ, et omnium Sanctorum ac justorum memoriam facimus, ut precibus et intercessionibus ipsorum omnes misericordiam consequamur.

* Liturgia vox græca idem Latinè ac officium Missæ, seu prout nunc parc Solemne Missale, in quo scilicet ordo divini missæ officii continetur.

Prob. 4to Ex beneficiis innumeris miraculosis, quæ Deus per Sanctorum intercessionem contulit, ut constat ex auctoribus fide dignissimis, inter quos S. Augustinus, lib. 22. de civ. c. 8. narrat plurima miracula, quæ coram numerosâ multitudine ad cultum et invocationem Protomartyris Stephani in Africâ fuêre patrata.

Prob. 5to rationibus Theologicis. 1a Licitum est ad viros Sanctos, dum in

Col 6 p. 22

408. terris nobiscum versantur, confugere, ut pro nobis apud Deum intercedant, quemadmodum S. Scriptura multis locis declarat. Lib. 1. Reg. c. 7. v. 8. Judaei Samuelem alloquentes, Ne cesses, inquiunt, pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum. Quin et Deus ipse amicos Job jubet ad ejus preces confugere, ut veniam obtineant, Job. c. ult. v. 8. Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, &c. Apostolus pariter, Rom. 15. v. 30. Obsecro vos fratres, inquit, per Dominum nostrum Jesum Christum et per charitatem S. Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. Item 1. ad Thessal. c. 5. v. 25. Fratres, inquit, orate pro nobis. Neque id diffitentur Protestantes. Ergo si Sancti adhuc in terris militantes honestè ac utiliter invocantur: à fortiori licitum, honestum, et utile est invocare Sanctos in coelis regnantes. Nec enim vel apparens ratio afferri unquam poterit, cur illud laudabile sit, secus verò istud. Una enim est triumphans in coelis ac in terris dimicans Ecclesia; quotidie recitantes Symbolum, Sanctorum communionem profitemur; communio autem hæc Sanctos spectat tùm hîc tùm in coelis degentes; neque minùs gratii sunt Deo Sancti in coelis, quàm in terris, nec minor est apud eum illorum gratia et auctoritas.

2.a Protestantes saltem moderatiores meritò, inquit Anglus Operum S. Irenæi Editor, admittunt Sanctos in coelis regnantes pro fidelibus vivis universè consideratis intercedere. Ergò et etiam speciatim illos pro fidelibus vivis intercedere admitti debet; neque enim sufficiens ratio affer-

ri potest, cur istud repugnet. Qui enim potest plus, potest et minus, et qui omnibus beneficium præstare potest, utique et illud singulis adeoque speciatim impertire potest; id profectò apertè evincunt testimonia Scripturæ supra à nobis adducta. Consequenter etiam licitum, honestum ac utile erit eos invocare: imò id locum habet, dato etiam, quod universim duntaxat pro fidelibus vivis intercederent, non verò speciatim; nam utique decet, ut eos qui pro nobis quocumque demum modô apud Deum intercedunt, gratiarum actione prosequamur, atque rogemus, ut pro nobis orare Deum non desinant.

Denique probatur Conclusio nostra 6.to testimoniô Universitatis celeberrimæ Tubingensis Lutheranismo addictæ in Ducatu Wirtembergensi; quod testimonium solidæ probationis locô utique haberi debet, cùm certè nullum validius argumentum sit, quàm quod ab adversariis petitur; ut sic veritatis inimici, propriis armis illam vindicare et tueri videantur. Igitur famosa hæc Lutherana Universitas, dum an. 1731. manibus Friderici Ludovici Principis Hereditarii Wirtembergici eodem an. 1731. 23. novembris ætatis suæ 33.tio defuncti in Aulâ academicâ parentaret, hisce defunctum implorabat*; Memor esto apud Deum tuorum, qui tam profundè incurvati plorant, arce quæcunque iræ judicia. Quod si ergo Lutheranis seu Protestantibus Wirtembergicis licitum et honestum videtur Principem suum jam defunctum, et post ipsius mortem invocare et rogare, ut memor eorum esse velit apud Deum, ejusque iram suis precibus ab illis avertat; cur etiam Catholicis licitum et honestum non sit, Viros in summâ Sanctitate defunctos, et de quorum

* Denke auch du bey Gott der Deinen, die so tieff gebeugt nun weinen, hindere manches Zorn-Gericht. Epicedii part. 3. Strophe 14. quod in perpetuam rei memoriam ad hujus Tractatus de Incarnatione pro calcem atteximus.

410. proinde aeternâ beatitudine magis utique certi sunt, quàm Wirtembergii de sui Principis salute, invocare, ac rogare, ut ipsorum apud Deum etiam memores esse velint, atque pro ipsis intercedere ꝓ.

Col. p. 413.

Solvuntur Objectiones.

31. Ob. 1º Impium est invocare eum, qui Deus non sit: neque enim invocari debet nisi is, in quem credimus, juxta illud Apostoli Rom. 10. v. 14. Quomodò invocabunt, in quem non crediderunt? Atqui is in quem credimus, Deus est juxta illud Symboli: Credo in Deum. Ergo cum Sancti non sint Dii, impium est eos invocare.

Resp. 1º Argumentum hoc nimis probat. Ergo nihil. probat enim impium etiam esse invocare Sanctos, qui adhuc in terris militant; neque enim etiam in eos credimus.

Resp. 2º. Dist. maj. Impium est eum tanquam primum ac Supremum auctorem bonorum invocare, qui Deus non sit, conc. tanquam intercessorem apud Deum, neg. maj. De illâ invocationis Specie, non autem de istâ, intelligitur Apostoli locus, Quomodo invocabunt ꝓ. siquidem immediatè ante locum idem hoc habentur: Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini Salvus erit. Neque obstat vox ista invocare: neque enim in Scripturis, ut adversarii fingunt, ei tantùm orationi convenit, quæ ad Deum immediatè dirigitur: siquidem Jacob Genes. 48. v. 16. Invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham et Isaac, inquit.

Resp. 3tio neg. maj. ad cujus probationem dist. ant. Invocari non debet nisi is, in quem credimus, fide, quæ ei conveniat, conc. Quæ ei non conveniat, neg. ant. fi-

Adde hic ea, quæ Albertus Haller Medicinæ Doctor et Professor in Universitate Göttinganâ origine Bernensis Calvinista in libro poeticò germanicò typis vulgato Bernæ an. 1743. apud Nicolaum Emanuelem Haller sub hoc titulò: D. Albrecht Hallers Versuch schweizerischer Gedichte zu finden sind Stanzen 11. 12. 13. 14. 15. pag. 125.

XIV. Trauer-Ode über absterben seiner geliebten Mariane geborne Grimm. Nov. 1736. Strofa 15. pag. 125.

Doch kannst du Gott-lieb nicht gewöhnen, drin stahlt wird sie Tugend für dich; Du wirst mit der Engel Chören drin Lieb und Lust in ihr Herz für mich.

Jes, quâ creditur, Deum esse bonorum omnium dominum ac largitorem, Deo soli convenit; fides verò, quâ creditur, Sanctos aliquid apud Deum posse, creaturis tribui potest, juxta illud Apostoli ad Philemonem, v. 4. et s. Gratias ago Deo meo.... audiens charitatem tuam et fidem, quam habes in Domino Jesu et in omnes Sanctos: Hæc verò fides, non autem illa, necessaria est, ut Sanctos invocemus.

Ob. 2do Christus Matth. c. 6. v. 9. for. 32. mam orandi præscribens, ait: Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in Cœlis &. Luc. ii. v. 2. cùm oratis, inquit, dicite, Pater &. et v. 9. Petite, et dabitur vobis, à quo? à Deo ipso, qui solus est cœlestium beneficiorum auctor ac largitor. ab Angelis autem et Sanctis nihil petendum, quia nihil ab ipsis speramus aut accipimus. Ergo Christus solum Deum orari voluit.

Resp. neg. cons. 1o hoc argumentum, sicut et prius minimum probat; probat enim nec Christum, nec Spiritum Sanctum, neque de Sanctis hîc in terris degentibus loquamur, esse invocandos et orandos, si nempe solus Pater sit invocandus et orandus. 2o. igitur, Ibi Christus non prohibet ne alios oremus; textus enim ille non est exclusivus, sed ad summum significat, Deum solum ut Supremum bonorum omnium auctorem ac largitorem orandum esse atque ut in quo spem omnem nostram collocare debemus, à quo, qui petit accipit. Angeli autem cæterique Sancti in Cœlis degentes sunt invocandi, ut Dei amici, ut intercessores nostri, qui plurimùm gratiâ et auctoritate apud Deum valent: nempe ut cœlestem opem, quâ indigemus, nobis advocent. Hoc unum ab iis petimus, hoc unum ab iis spe- Col & sp. 24

412. ramus; non ut coelestia bona ipsi nobis conferrent, absit; sed ut à Deo ea pro nobis impetrent. Et hoc sensu intelligendi sunt quidam Patres, quos Protestantes nobis objiciunt, quando dicunt, Solum Deum invocandum esse, nempe solum Deum et Christum invocandum esse, ut gratiæ auctorem, ut Mediatorem ac Redemptorem nostrum; Angelos verò et Sanctos invocandos esse ut Dei amicos, ut patronos nostros, intercessores, advocatos.

33. Ob. 3tio Invocatio Sanctorum est injuriosa Christo. Ergo est impia.

Resp. neg. ant. Nam, ut jam aliquoties inculcavimus, nulla fit Christo injuria per invocationem fidelium Sanctorum in terris degentium. Ergo nec per invocationem Sanctorum cum Christo regnantium. Enim verò, ut mox diximus, non invocamus Sanctos, ut fungantur vice Christi, vel Christum adjuvent ad impetrandum, sed ut pro nobis intercedant apud Christum, et apud Deum per merita Christi.

34. Inst. jo Per invocationem Sanctorum plures mediatores adjunguntur Christo. Ergo per illam fit injuria Christo, qui teste Apostolo, ad Tim. 1. c. 2. v. 5. unus est mediator Dei et hominum.

Resp. jo ut ad priores objectiones, licet hoc argumentum, si valeat, probare praxim invocandi Sanctos, qui adhuc in terris versantur, injuriosam esse Christo, atque per illam plures ei mediatores adjungi. Ergò licet invocatio istorum Christo injuriosa non est, seu nihil de illius apud Deum mediatione detrahit, ita nec invocatio Sanctorum, qui cœlesti beatitudine æternum fruuntur.

Resp. 2°. Dist. ant. Per invocationem Sanctorum plures mediatores adjunguntur Christo secundarii tantùm, conc. primarii et qui vice Christi fungantur, vel eum adjuvent ad impetrandum, neg. ant. Sancti non sunt mediatores in sensu, in quo Christus est mediator: nempe non sunt mediatores primarii, Pet ad Summum mediatores secundarii, seu potiùs intercessores nomine et virtute Christi. Nam primarius mediator est is, qui nos dato pretio redemit, qui nos reconciliavit Deo per merita sua à nullo alio mediatore vim habentia, et per illa sua merita solus nobis meritus est justificationem, salutem et omnia dona supernaturalia. In hoc sensu Apostolus dixit esse unum mediatorem Christum Jesum, ut patet ex ejus verbis sequentibus, quæ priorum sensum explicant: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Mediator verò secundarius est ille, qui orat pro nobis per merita primarii mediatoris, et in virtute gratiarum à primario mediatore acceptarum. Certè hujusmodi mediatores gloriam Christi non obscurant, imò eam maximè commendant, cùm nil quàm merita Christi aut ejus dona offerant Deo Patri, nihilque obtinere velint nisi per merita Christi. Et verò Moyses adhuc vivens dicitur in Scripturâ mediator /: secundarius scilicet :/ nam Deut. c. 5.* ait: Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo. Et Apostolus, Galat. 3. v. 19. dicit legem ordinatam fuisse per Angelos in manu mediatoris, nempe Moysis.

* v. 5.

Inst. 2°. Christus ut mediator primarius interpellat pro nobis. Ergo si 35.

414. Sancti orant pro nobis, sunt mediatores primarii.

R. g. p. 25

Resp. neg. cons. Quia ingens discrimen est inter orationem Christi, et Sanctorum. Nam oratio Christi nititur meritis ipsi propriis, et ab omni alio prorsus independentibus, quo Patri offert ad impetrandum, quod petit. At Sanctorum oratio nititur meritis Christi, qui est causa meritoria omnium gratiarum et donorum supernaturalium: orant quippe Deum, ei offerendo merita Christi. Et merita, quæ ipsi comparavunt, sunt dona Christi; sunt enim opera bona ex gratiâ Christi facta, et propter merita Christi à Deo acceptata.

36. Ob. 4to Deus paratissimus est nos exaudire, nosque magis diligit, quàm Sancti. Petite et accipietis, inquit Joan. 16. v. 24. Et si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ibid. v. 23. Ergò, si non impium, saltem inutile est Sanctos invocare.

Resp. neg. cons. Nam licet Deus paratissimus sit nos exaudire, nosque magis diligat, quàm ullus Sanctus, adhuc tamen magis paratus est nos exaudire, cùm Sancti nobiscum orant, quia Sanctos magis amat quàm nos, cùm sint ipsi gratiores quàm nos, utpotè nostra charitas vel nulla est, vel plurimùm imperfecta: unde Apostolus suo exemplò nos docuit orare Sanctos, ut pro nobis intercedant; et Deus ipse amicis Job ignoscere noluit, nisi per ejus orationem pro illis: Ite, inquit ad ipsos, ad servum meum Job, ut oret pro vobis. Job. 42. v. 8.

Inst. S. Chrysostomus Hom. de pro- 415.
fectu Evangelii, Cæterùm, inquit, nonopus 37.
tibi patronis apud Deum .... neque enim
tam facilè Deus annuit, cùm alii pro nobis
orant, ut cùm ipsimet oramus etiam plu-
rimis plenissimi malis. Ergo inutilem
censuit Sanctorum invocationem.

Resp. neg. cons. Hîc S. Chrysosto-
mo quæstio non est de Sanctis in cœlo re-
gnantibus, sed de patronis adhuc in vi-
tâ degentibus, nam ibidem ait: Non est
opus multô discursu, ut blandiare aliis.
S. Chrysostomus ergo eos tantùm hîc arguit,
qui per se orare nolunt, sed, ut se eo la-
bore eximant, pauperibus, qui pro ipsis
orent, eleemosynas largiuntur: Neque
enim, inquit, tam facilè Deus annuit,
cùm alii pro nobis orant, ut cùm ipsimet
oramus. Vide eumdem S. Doctorem
Hom. 5. in Matth. et Hom. 1. in priorem
Epist. ad Thessal.

Ob. 5to Sancti jam defuncti preces 38.
nostras audire non possunt, eas præsertim
quas solâ mente interiùs fundimus. 1° Quia
Solus Deus scrutatur corda et renes, 3. Reg.
c. 8. v. 39. 2° Job. 14. v. 21. de mortuo homi-
ne dicitur: Sive nobiles fuerint filii ejus,
sive ignobiles non intelliget. 3° De om-
nibus vitâ functis sic pronuntiat Sapiens,
Eccles. 9. v. 5. Viventes sciunt se esse mori-
turos; mortui verò nihil noverunt am-
plius. Ergo inutile et superfluum
est eos invocare.

Resp. neg. ant. ad 1^a^, quo pro-
bationis loco adduntur dicimus, ad 1um
Solum Deum propriâ quidem auctorita-
te corda scrutari, ac internas animi

416. cogitationes cognoscere; Angelos verò et Sanctos ex beneficiô et notitiâ à Deô concessâ. Ad 2dum et 3tium eadem est responsio: nisi quis maluerit verba Ecclesiastis sic exponere; nempe mortuos insitô naturæ lumine propriáque vi non magis revire, quæ hîc aguntur, quàm nos Scimus, quid agant mortui in alterâ vitâ.

Quâ porrò ratione Beati preces nostras cognoscant, certò definiri non potest: Sive id fiat Dei revelatione, sive per Species à Deô ipsis impressas, Sive per visionem ipsam beatificam, Sive per ministerium Angelorum, istud prorsùs incertum est. at dubium non est, quin Sancti, quæ nostra Sunt, cognoscant, iisque, pro amore, quo nos prosequuntur, afficiantur. Elias post obitum Suum Joram Regem, datis ad eum Litteris, corripuit, Paralip. 2. c. 21. Angelus Raphaël offerebat Deo orationes Tobiæ, Tob. 12. v. 12. Jeremias Propheta, et Onia Sacerdos jam vitâ defuncti Deum deprecati Sunt, ut Judæos durissimô jugô, quo premebantur, liberaret, 2. Machab. 15. Abraham exultavit, ut videret diem Christi, Joan. 8. v. 56. id est Verbi Incarnationem. Idem Patriarcha in Cœlis degens novit divitis Epulonis in inferis cruciatus ac tormenta, Luc. 16. v. 23. Angeli in Cœlô sentiunt gaudium Super uno peccatore pœnitentiam agente, Luc. 15. v. 10. Apoc. 6. v. 9. Martyres sentiunt tortores Suos adhuc in terris versari, nondum Sangui-

Col 2 p. 26.

nis sui effusi sanas, quas reposuunt, dedisse. Certa hæc sunt apud omnes et indubitata: quomodò autem hæc omnia Angelis, Prophetis, Patriarchis, aliisque Sanctis cognita sint, conjecturis duntaxat, non certò definire possumus. Deum interrogent Protestantes, si certò hæc scire voluerint.

Ob. 6to Usus invocandi Sanctos primùm Seculò quartò invalere cœpit, atque tribus primis Ecclesiæ Seculis incognitus fuit; adeoque contrà Traditionem horum primorum Seculorum introductus est. Ergò velut haud toleranda vel saltem inutilis innovatio habendus est. 39.

Resp. neg. ant. hujus usûs vestigia Seculô Ecclesiæ Secundô non deesse supra ostendimus; equidem non tam frequentia exemplà ex primis his Seculis occurrunt exempla ac in sequentibus, tùm quia pauca illius ætatis Sanctorum opera ad nos pervenerunt: tùm quia tunc temporis, furente Tyrannorum persecutione Episcopi magis erant soliciti instruendis et ad Martyrium formandis fidelibus, quàm Libris scribendis. Mirum profectò, imò planè ridiculum, quòd Protestantes velint Lutherum et Calvinum Seculô 16to oculatiores fuisse in dignoscendâ trium priorum Seculorum doctrinâ et disciplinâ, quàm tot Præsules, tot Pastores, tot Fideles, qui immediatè post vixêre, et à Majoribus sibi quasi per manus traditam doctrinam et disciplinam receperunt, et ad hanc usque diem constanter retinuerunt: quasi Episcopi, Pastores, Fideles omnes statim ad rei novitatem turbati non reclamassent, sive ipsâ novus et incognitus ipsis propositus fuisset Sanctos honorandi et invocandi ritus. Non patitur facilè populus Christianus, ubi de Religione agitur, se ad novos

418. mores ritúsque derepentè transferri. Si ergo, ut fatentur Protestantes, quartô Ecclesiæ sæculô plenè et absque ullâ contradictione confirmatus fuit ritus invocandi Sanctos, dubiô procul jam ante invaluerat.

40. Ob. 7mò Canone 35. antiquissimi Concilii Laodiceni cultus Angelorum, velut idololatricus prohibetur. En Canonis citati verba: Quòd non oportet Christianos, relictâ Dei Ecclesiâ, abire, et Angelos nominare, vel congregationes facere, quod est prohibitum. Si quis ergo inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vacare, sit anathema, quia reliquit Dominum nostrum Jesum Christum, et accessit ad idololatriam. Ergo immeritò arguuntur Protestantes, quòd cultum et invocationem Sanctorum improbent.

Resp. Dist. ant. Canone 9. cultus Angelorum indebitus et ad rebelles illos et tenebriones Angelos traductus velut idololatricus prohibetur, conc. Cultus Angelorum debitus et licitus, neg. ant. Certè Patres Laodiceni, cùm Canone 51. Sanctorum Martyrum cultum, festa et memorias approbent, non possunt Sanctorum Dei Angelorum, qui eamdem cum Martyribus gloriam in Coelô participant, et pari cum Martyribus erga nos charitate fervent, venerationem reprobare; Sed, prout jam supra §. præcedenti in Resp. ad object. 4. num. 16. annotavimus, vel damnant hæresim Simonis Magi et ejus sequacium,

Col 3 p 25. qui Platonicos secuti, docuerunt quosdam Angelos esse adorandos quasi minores Deos, ~~qui~~ et mundum fabricarunt, et per Prophetas locuti sunt, nec posse ullum placare summum Deum, qui invisibilis est, nisi per hos Angelos. Favet S. Hieronymus, q. 10. ad Algasiam, favet et Haymo in hunc Laodiceni Concilii Canonem, qui docent, illo eos reprehendi, qui sacrificabant Angelis; nec ab

his dissentit Theodoretus supra loc. cit. pag 391. imò clarissimè omnium docet, hîc notari Simonianos, qui dicebant, Deum apprehendi non posse, sed per Angelos placandum. Huic interpretationi favet vel ipse citatus Concilii textus, quo damnantur occultæ idololatriæ servientes. Favet etiam, quòd certò constat ex Epiphaniô hæres. 60. et Augustinô hæresi 39. extitisse olim Hæreticos Angelicos, sic dictos, quòd Angelos adorandos, cultúque latriæ soli Deo debitô colendos esse docerent.

Vel memorati Patres, quemadmodum eo, qui immediatè præcedit, Canone 34°. illos anathemate damnant, qui relictis Sanctis Christi Martyribus in cœlô regnantibus, debitum illis cultum ad falsos hæreticorum Martyres, quos inferni gehenna suscepit, transferunt: consequenter isto Canone 35. illos anathemate damnant, qui relictis Sanctis Dei Angelis in cœlô regnantibus, debitum illis cultum traducunt ad rebelles idolos et tenebriones Angelos inferni incolas, eósque venerantur et invocant ad imitationem gregalium Saturnini, Basilidis, Ebionis, Cerdis, et similium hæreticorum magicis artibus addictorum, ex Simonis Magi colluvie prodeuntium, quorum meminêre Irenæus, Tertullianus, Epiphanius: Unde proximè sequens Canon 36ª quasi eodem pertinens, magos et incantatores ab Ecclesia eliminat. Addictus ergo Canon Laodicenus non piam quamlibet Sanctorum Angelorum venerationem damnat ac prohibet, sed eam, quæ latria dicitur, detestatur, et soli Deo propria est, vel eam, quæ damnatis Angelis exhibetur.

Ob. 8vò Invocatio Sanctorum in cœlis 41. cum Christô regnantium causa est, quòd fideles paulatim desinant Christum invocare; unde

5 In Canon. Non oportet eos qui sunt Sanctuarii, vel clerici, esse magos, vel incantatores, vel mathematicos, vel astrologos, vel facere ea, quæ dicuntur amuleta, Græcè φυλακτήρια, quæ quidem sunt ipsarum animarum vincula. Eos autem, qui talibus utuntur, ejici ex Ecclesiâ justimus.

420. plerique fideles perrarò ad Christum confugiunt, quamvis tamen nemo nisi per eum ire possit ad Patrem: Nemo, ait ipse, Joan. 14. v. 6. venit ad Patrem, nisi per me. Ergo propter illud periculum, aboleri debet praxis de Sanctorum invocatione.

Resp. neg. ant. Invocatio Sanctorum ipsiusmet Christi invocationem includit: nempe fidelis, qui Sanctum invocat, precatur, ut Sanctus ille Christi nomine à Deo petat beneficia, quibus ipse fidelis indiget; precatur, ut Sanctus postulet à Deô, quatenus ex intuitu meritorum Christi concedere velit auxilia quibus indiget is, qui ad Sanctum per preces confugit; ut patet ex eo, quòd Ecclesia orationes omnes, quas ad Sanctos dirigit, semper hisce verbis claudat, Per Christum Dominum nostrum.

Præterea invocatio Sanctorum in coelis regnantium non est alteriùs generis, quàm invocatio piorum hominum in terris degentium: ac proinde cùm ista /: prout adversarii fatentur:/ includat invocationem Christi, ita et illa: hoc est, sicut à piis hominibus in terrâ degentibus nihil aliud petitur, quàm ut orent Christum, quatenus per eum nobis ad Patrem aditus pateat, ita nec aliud à Sanctis in coelô regnantibus petitur. Nec obesset, si imperiti quidam eâ, quâ dictum est, ratione Sanctos non invocarent: siquidem Ecclesia eo casu usum illorum non probat: ut quæ parochis aliisque curam animarum habentibus injungit, ut fideles doceant, Sanctorum preces eo tantùm titulô à Deô exaudiri, quòd Christi nomine fiant; et quòd Deo Patri Christi meritum offerant; juxta illud Augustini in Psal. 108. Oratio quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit peccatum.

Col. 4. p. 28

Et sanè, si usus per se bonus, pius ac utilis /: ut est Sanctorum cum Christô regnan-

tium invocatio: / aboleri Deberet propter quorumdam, aut imperitorum, aut iniquorum hominum abusum; propter eamdem rationem aboleri quoque Deberet usus Scripturæ Sacræ, Sacramentorum, pluriúmque aliarum Sanctissimarum rerum: haud pauci enim sunt, qui aut præ ignorantiâ, aut præ iniquitate, et Scripturâ Sacrâ, et Sacramentis, aliisque Sanctissimis rebus abutuntur.

Ob. 9.no Invocatio Sanctorum contraria est bonis moribus; nam 1.o favet eorum errori, qui ob cultum huic aut illi Sancto impensum, sibi polliceantur, se ex hac vitâ sine pœnitentiâ non migraturos. 2.o Docent aliqui omnia scelera conciliari posse cum devotione ergo Sanctos, ac præcipuè Deiparam. 3.o Nonnulli putant se Sanctos colere, quamvis Deum non colant. 4.o Tandem plures fiduciam suam ponunt in signis quibusdam externis ad Sanctorum, et præsertim Deiparæ cultum institutis. Ergo propter eas, similésque rationes aboleri debet invocatio Sanctorum. 42.

Resp. neg. ant. Ecclesia Romana abusus, quorum meminit argumentum, semper damnavit ac etiamnum damnat. imo in variis Conciliis tanquam abominandam vanitatem et superstitionem execrata est et execratur. 2.dus est insignis calumnia, Ecclesiæ Romanæ ab adversariis impacta. Hanc Ecclesiæ probat celebre S. Augustini Serm. 30.* effatum: Martyres honorare, et non imitari, nihil aliud est, quàm mendaciter adulari. atque eodem modò vult ut B. Virgo Maria colatur, quo Paulus se coli præcipit, dum ait 1. Cor. 4. v. 16. Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Eademque ratione, quâ idem Apostolus coli vult domorum Ecclesiæ Præpositos Heb. 13. v. 7. ubi Mementote, ait, Præpositorum vestrorum,

* Inter eos, quos edidit Sirmondus.

422. qui locuti sunt vobis verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Ecclesia Romana profitetur nec cum Dei verbô, nec cum Sanctis Patribus cohærere Sententiam, quâ asseritur, nullum, qui externum Virgini cultum exhibuerit, migraturum è vitâ, quin poenitentiam egerit: novit nimirum ex Scripturis, Deum etiam cum irrisione acturum cum eo, qui de illius mandatorum observatione non curaverit: Ego autem in interitu vestro ridebo, et subsannabo vos, Prov. 1. v. 26. Optat pia mater, ut filii sui præ oculis semper habeant præclaram hanc S. Augustini Sententiam*: Poenitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est: quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne et ipsa moriatur. Et ideo dilectissimi, quicumque vult invenire misericordiam Dei, sanus agat poenitentiam in hoc sæculô, si sanus esse vult in futurô sæculô.

* Serm. 57. de temp.

Ex his patet, quid ad 3tium dicendum sit: nempe manifestum esse eos, qui Sanctos imitari nolunt, re verâ Sanctos non colere, ac proinde si non velint Dei mandata servare, hoc est, si Sanctos non invocent, ut pro ipsis gratiam obtineant, quâ mandata Dei custodiant, suisque iniquis habitibus liberentur, immeritò jactitant, se cultores esse Sanctorum.

Jam verò quod spectat ad quartum, planè falsum est. Scilicet externa devotionis in Virginem Deiparam, aut Sanctos cum Christô regnantes Symbola, quæcunque sint ejusmodi signa, non alio fine gestantur, quam ut fideles excitentur ad imitationem eorum, quos iis exterioribus signis se pro patronis elegisse profitentur. Ob eumdem quoque et non alium finem, plerique ex fidelibus dant nomen Societatibus, quæ in honorem sive Virginis Deiparæ, sive aliorum

Col 5 p 29

Sanctorum erecta sunt in Ecclesiâ Catholicâ, hoc 423.
est, idcò sodalitiis ejusmodi inscribi volunt, ut exer-
citiis, quo in iis prescribuntur, ad Sanctorum,
quos se colere profitentur, imitationem pro-
moveantur, et ad sincerum Dei cultum, qui
in ejus amore casto positus est, adjuventur.
In tantùm enim sunt veri Sanctorum soda-
les, in quantùm cum illis Dei gloriam quæ-
runt: Ita omnes homines /: inquit S. Augus-
tinus De catechizandis rudibus c. 19 :/ et omnes
spiritus humiliter Dei gloriam quærentes, non
suam, et cum pietate sectantes, ad unam per-
tinent societatem.

Ob. 10mo In Ecclesiâ Romanâ San- 43.
cti invocantur tanquam auctores beneficio-
rum, et collatores auxiliorum quæ ab ipsis po-
tulantur, scilicet in hymno qui incipit Ave
maris Stella, his verbis Virgo Deipara invo-
catur: Solve vincla reis, profer lumen cœcis,
mala nostra pelle. ut alia similia omittantur.
Ergò abolere debet Sanctorum invocatio.

Resp. neg. ant. Illa verba, Solve
vincla reis, &c. intelliguntur de Solutione
per modum causæ moralis, non verò per
modum causæ physicæ. Maria peccatorum
vincula solvit per modum causæ moralis,
quia Deum orat, ut propter Christi merita
reis hominibus peccata dimittat: at verò
ipsa non dimittit peccata, prout patet, quòd
immediatè hæc de Solutione per orationem
posteà explicentur his verbis: Bona cuncta
posce, Sumat per te preces, qui pro nobis
natus tulit esse tuus. Quod si autem
alibi in Catholicorum libris quædam pre-
cum formulæ legantur, aut etiam in aliquâ
particulari Ecclesiâ adhibeantur, vel po-
tius adhiberi contingeret, quæ secundum

424. speciem modum Sanctos precandi et invocandi
Latenùs in universali Ecclesiâ stabilitum ex-
cedere videantur, in tamen Ecclesia Catholi-
ca, quæ illas omninò respuit, tribuit Laud de-
bet. Nempè nonnunquam per imperitiam
et errorem aliqua in Ecclesiis particularibus
fieri possunt, quo ab Ecclesiâ Catholicâ rejici-
untur. ut jam dudum observavit S. Augus-
tinus, lib. 6. de Bapt. contra Donatistas, c. 26.
Quod si nonnunquam in preces aliqua irrepant,
quo sint contrà Ecclesiæ fidem, ea quotidiè
emendantur curâ Congregationis de ritibus,
cujus primarium officium est advigilare, ut
menda corrigantur; et cavere ne quid dein-
ceps simile contingat.

S. Quartus.

44. De cultu Crucis Christi et ejus-
dem crucis effigiei, Reliquiarum
ac Imaginum Sanctorum.

Cultûs seu Adorationis nomine hîc
idem intelligimus, quod supra Sphô Se-
cundô de Sanctorum cultu et adoratione in-
teleximus, nempe cultum religiosum,
seu à virtute religionis imperatum, qui
minor sit Latria cultu.

De cultu Christi Crucis.

Conclusio.

45. Crux sive vera, in qua passus est
Dominus, sive picta et sculpta, sive ma-
nuum agitatione expressa colenda
est. Tres sunt hujus Conclusionis partes.

Prima pars, quo est de verâ cru-
ce, probatur auctoritate, et usu univer-
salis Ecclesiæ, quo ab annô 326. quo di-
ligentiâ Helenæ Constantini Imperatoris
matris vera Crux Christi inventa est, Deô

pissimæ Imperatricis conatum non sine mi- 425.
raculis adjuvante, hoc Salutis nostræ instrumen-
tum singulari honore ubique prosecuta est.

Rem, prout gesta est, narrant Scrip- Col. C. p. 30.
tores sæculi quarti. S. Cyrillus Jerosolymi-
tanus, qui hujusce celebris inventionis ocula-
tus testis esse potuit*, in Ep. ad Constanti- 1 * obüisse fertur
num Imperatorem, et catech. 4. an 43. re- an. Chr. 386.
fert, Christianos ex omnibus mundi partibus
ad adorandam Crucem Jerosolymam con-
fluere solitos, et cùm erogatis in singulos
hujus pretiosi ligni partibus plenus esset
orbis, lignum tamen ipsum integrum
semper perstitisse.

S. Ambrosius*, in Oratione Theo- * obiit an. Chr. 397.
dosii Magni addit, Helenam crucem in
capite Regum levasse, ut Crux Christi
in Regibus adoraretur.

S. Paulinus*, ep. ij. ad Severum 1 * obiit an. Chr. 431.
Sulpitium, in quâ testatur Ecclesiam
instituisse festum in memoriam Crucis
per Helenam mirabiliter inventæ.

Idem Severus Sulpitius*, lib. 2. * obiit an. Chr. 420.
Sacræ historiæ. Ruffinus lib. 1. Historiæ* circa idem tempus
Theodoretus*, lib. Hist. c. 18. Socrates, * obiit an. 460.
lib. j. c. 13. et Sozomenus, lib. 2. c. j. tes-
tantur.

Secunda pars, quæ est de imagi- 46.
nibus Crucis, constat ex universali Eccle-
siæ usu; nam ex S. Chrysostomo hom.
61. Imperatores Crucis effigiem adhibe-
bant ad præsidium et honorem in suis
diadematibus, vestibus, et armis; cæteri
verò ubique ex Theodoreto serm. 6. contra
græcos: Græci, Romani et Barbari crucifi-
xum profitentur Deum, Crucisque si-

quum venerantur. Ex S. Augustinô, Serm. 88. aliàs 18. de verbis Domini, c. 8. ubi ait: Quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine hujus Sæculi, priùs honoravit Crucem in hoc Sæculô, ut terrarum Principes credentes prohiberent aliquem nocentem crucifigi, et quod cum magnâ insultatione Judæi Domino procurarunt, magnâ fiduciâ servi ejus etiam Reges in fronte nunc portant.

Profectò Crucis imagines, quas, ut infrà dicetur, primi etiam Christiani effinxerunt, Constantini Magni temporibus palam expositæ sunt: nempe Sacri illius signi, quod in somno cum hac inscriptione, Hoc vince, Constantinus conspexerat, effigiem ex Christi mandatô, qui per quietem ei apparuerat, elaborari jussit effecitque vexillum, cui Labari nomen impositum est: Hoc verò Salutari signô, ait Eusebius, lib. 1. de vitâ Constantini c. 32. velut munimentô adversùs hostiles, infestásque vires omnes perpetuò usus est Imperator, et ejusdem expressas figuras præire deinceps mandavit exercitibus suis. Neque hôc contentus eandem effigiem tum militum clypeis, tum nummis insculpi voluit. Ad Constantini exemplum ubique collocata est eadem crucis effigies: Quippe Reges, inquit S. Chrysostomus supra cit. Hom. 61. depositô diademate crucem suscipiunt, mortis illius signum. In purpureis vestibus crux inest: in diadematibus crux: in orationibus crux: in armis crux: in sacrâ mensâ crux, et ubique terrarum sole ipso clariùs refulget.

Prohibuerunt etiam Imperatores, l. 1. Cod. de Sacro-Sanctis Eccles. ne Crux in pavimento conculcanda inscriberetur; quod etiam

à Trullo, qui fuit Synodus Trullana, aliàs Quinisexta, velut ex

Quintâ et Sextâ oecumenicis Synodis coalescens, atque Canones supplens, quales duæ illæ Synodi, solis fidei definitionibus intentæ, non ediderant, quibus stabiliri posset Ecclesiastica disciplina, nuncupata, Canone 73. sub anathemate interdixit.

Quin et ipsi Iconomachi, qui sæculô Ecclesiæ octavô adversùs sacras imagines summô furore debachati sunt, honores veræ Crucialiisque illius imaginibus pendi solitos illibatè servaverunt. Nam, inter alia, Constantinus Copronymus, quo imperante celebrata fuit Pseudo-Synodus septima an. Chr. 754. /Nicephorô Constantinopolitanô teste in Breviariô historiæ:/ sublatô in altum Crucis lignô, dicitur Episcopos coëgisse, ut jurarent, se imagines nusquam veneraturos esse: Tum, inquit Nicephorus, Patriarcham Constantinopolitanum salutaribus lignis /: crucis lignâ scilicet:/ in altum sublatis, jurasse, se ex eorum numerô non esse, qui sacras imagines adorarent.

Ioannes quoque Damascenus, lib. 2. de imaginibus, ex eo confutat Iconomachos, quòd, cùm venerarentur crucis signum, et sacra vasa, quæ sunt quædam materiæ, sacris tamen imaginibus cultum deferre nollent: Aut igitur, ait, horum omnium cultum, adorationémque tolle: aut Ecclesiasticæ traditioni etiam imaginum adorationem permitte.

Ionas item Aurelianensis, qui unus fuit è Gallicanis Patribus, qui Synodi Nicenæ II. de imaginibus decretum vellicarûnt lib. de cultu imaginum, apertè profitetur, usum fuisse tum in Galliis, ut Christi Crucis effigies in Templis collocaretur, et adoranda fidelibus exponeretur: atque Claudio Taurinensi Episcopo crimini vertit, quòd,

427
Secretarium supernè fornicatum in Imperialibus ædibus Constantinopoli, an. 692. sub Imperatore Justinianô II. cæterùm coetus iste censeri aut dici non potest Oecumenicum concilium, ut pote cui, ut par erat, nulli præsedêre Legati Apostolicæ Sedis, quam tùm temporis Sergius occupabat.

Col 7 p. 31

428. cùm, imperante Ludovicô Piô, creatus fuisset Episcopus, primus omnium Cruces abjecerit: Verùm etiam cruces materiales, quibus ob honorem et recordationem redemptionis suæ Sancta consuevit uti Ecclesia, à cunctis parochia sua Basiliis dicitur delevisse, evertisse, penitùs abdicasse.

Et verò neque Iconomachi ipsi in suâ pseudo-Synodô, quam falsò Septimam Oecumenicam vocarunt, imaginis Crucis Christi vel quidem meminerunt; necnon Concilium Septimum Oecumenicum an. Chr. 787. celebratum sub Adriano I. Papâ, ut probet, cultum Sacris imaginibus exhiberi debere, argumentum adversus ipsos Iconoclastas sapè desumit ex cultu, quem iidem Iconoclastæ fatebantur exhiberi debere Sacræ Crucis imagini. In fidei definitione, quæ in ejusdem Concilii actione 7ma habetur, factum, de quo est quæstio, apertè supponitur: Definimus, inquiunt Laudatæ Synodi Patres, sicut figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita Venerabiles ac Sanctas imagines proponendas.

47. Tertia Conclusionis pars, quæ est de signô Crucis manuum agitatione expressô, probatur. Hujus Signi usus est laudabilis, quem Ecclesia ab exordiô semper probavit, et quem Deus multis miraculis commendavit. atqui talis est usus Signi Crucis. Ergo.

Minor prob. ex Tertulliano, qui jam sæculô Ecclesiæ secundô floruit; lib. de corona militis c. 3. ubi hæc legitur: Ad omnem progressum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculô terimus. Harum et aliarum hujusmodi disciplinarum si legem expostules, Scripturarum nullam invenies; traditio

* Gentilitate relictâ, ut fertur, an. Chr. 196. ad fidem Christi conversus est.. obiit autem an. Chr. 216.

tibi prætendetur auctrix, consuetudo conservatrix, fides observatrix. 429.

Ex Origene, Tertulliani coævô*, qui Hom. 6. in Genes. et Hom. 6. in Exodum, asserit, Signum crucis habere vim fugandi Dæmones. *obiit an. 254. Col 8. p 32.

Ex S. Gregoriô Nazianzenô*, Orat. 3. ubi refert, ipsum Julianum Apostatam territum, Signô Crucis fugasse Dæmones. *obiit an. 390.

Ex Sanctô Cyprianô*, qui Ep. 58. sic scribit: Muniatur frons, ut Signum Dei incolume servetur. *obiit an. 258.

Ex S. Athanasiô*, qui in vitâ S. Antonii narrat, Sanctum hunc Anachoretam solitum armari Signô Crucis adversùs insidias et assultus Dæmonum. *obiit an. 371.

Ex S. Basiliô Cæsariensi*, qui lib. de Spiritu S. c. 27. Dogmata et instituta, inquit, quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habemus ex doctrinâ Scriptâ, quædam rursus ex Apostolorum Traditione.... quorum utraque parem vim habent ad pietatem.... ut quod primum est et vulgatissimum primô locô commemorem, ut Signô crucis, eos, qui spem collocarûnt in Christum, signemus, quis scripto docuit? *obiit an. 378.

Denique ex Sancto Basilio Seleuciensi*, qui lib. 1. de vitâ S. Thecla scribit, Sanctam hanc Virginem Signô Crucis ignem extinxisse. *quo anno obierit incertum, adhuc supererat an. 458.

Hunc Signi S. Crucis usum jam ætate Tertulliani, minùs reliquorum Patrum, quorum testimonia modò adduximus, recentem haud fuisse patet, sed prout tùm ipse Tertullianus, tùm S. Basilius Cæsareensis testantur ex Majorum traditione receptum; et cùm nullum

Not Pzál

430. illius inveniatur aut in Conciliis, aut in Patrum Decretis initium, juxta S. Augustini contra Donatistas agentis principia traditionis Apostolicæ esse censendus est.

*Lib. 4. de Bapt. cont. Donatistas c. 24.

*Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi autoritate Apostolicâ rectissimè traditum creditur, inquit hic S. Doctor.

Porrò Majores nostri tam sæpe signô crucis frontem triverunt, 1º. ut Christi passionem in memoriam revocarent. 2º. ut testarentur se fiduciam omnem in unâ Christi morte collocare. 3º. Quod crederent huic transeunti crucis signo vim inesse Dæmones abigendi, propellendique mala, quæ impendebant. 4º. Denique, ut significarent, se Christum non erubescere: Hujus crucis signum, ait S. Augustinus, tract. 3. in Joan. in fronte gestamus, de quo non erubescimus, sicut in corde gestamus.

De virtute signi crucis, quo frontem munimus, vide Chrysostomum, Hom. 12. in 1. ad Corinth. Augustinum, lib. 22. de Civ. Dei, c. 8. Cyrillum Hierosolymitanum, Catechesi 4. Epiphanium, Hær. 30. quæ est Ebionitarum.

De virtute item, quam per crucis signum, quo sese fideles munimunt, ipse Deus operatur, persuasi Majores nostri eum non modò ad prophana ritè peragenda, sed etiam in sacris omnibus officiis adhibebant: Quod signum, ait S. Augustinus tract. 118. nisi adhibeatur sive frontibus credentium; sive ipsi aquæ, quâ regenerantur; sive oleo, quo chrismate unguun-

tur; sive Sacrificio, quò aluntur nihil eorum ritè perficitur.*

Summâ igitur reverentiæ ac religionis sensu Christi Crux, tanquam salutis ac Redemptionis nostræ pretiosum instrumentum colenda est. Et verò, si locus in quo Angelus stetit, terra sancta est, Josue c. 5. Exod. 3. Cur non magis Crux, in quâ stetit, et cui affixus est Christus? Si Sudaria et semicinctia Pauli honorabantur propter ipsius contactum, cur non magis Crux Sanguine Christi respersa? Si Sacramenta honorantur, quia sunt instrumenta gratiæ, cur non Crux, quæ instrumentum est Redemptionis? &c. Vide quæ inferiùs dicemus de Sacrarum Imaginum cultu, quæ huc referri poterunt.

Solvuntur Objectiones. 48.

Ob. 1º Historia inventæ ab Helenâ Crucis Christi est mera fabula, tùm quia Eusebius Helenæ gesta lib. 3. de vitâ Constantini recensens, hujusce rei non meminit: tùm quia Scriptores, qui eam referunt, secum invicem non concordant. Ergò est explodenda.

Resp. neg. ant. ad ejus prob. Præterquam quòd Eusebius hujus historiæ mentionem faciat in Chronicô, silentium unius nihil potest contrâ omnium reliquorum testimonium. Scriptores, qui eam referunt, in levibus quidem circumstantiis variant, sed in rei summâ omninò conveniunt.

Ob. 2dò Indecorum est et omninò probrosum, si filius honoret patibulum, in quo Pater interiit. Ergò Crux, in quâ Christus interiit, honoranda non est. 49.

Prima 5e Zeilen Not.

431.

* Narrat Georgius Martinus ex Ministrô Calvinianô ad fidem Catholicam conversus, se, quamvis non dum plenè conversus sed adhuc Calvini Sectator, uxorem suam gravi Stomachi dolore cruciatam signo crucis derepente sanasse. Conversio G. Martini Gallicè. Parisiis an. 1656. in Præfat. Imò addit ibidem, uxorem suam postmodum hujus sacri crucis signi à se ipsâ suprà se ipsam facti virtute, ~~[illegible]~~ à lethali morbô, qui quos invadebat, intrà trium vel quatuor dierum spatium perimebat, non modò illicò sanatam, sed et ad fidem conversam fuisse catholicam.

432.

Resp. neg. ant. Si nempè de patibulo, in quo Christus pretium Redemptionis nostro Patri suo obtulit, intelligatur. Hæc est Gentilium et Judæorum impietas, quibus Crux Christi, ut erat nocentis patibulum, sic et scandalum et stultitia: ipsis autem vocatis Judæis et Gentilibus erat et est Dei virtus, 1. Cor. 1. v. 24. trophæum Christi victoris, cathedra docentis, tribunal Judicis, ex quo expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso, Col. 2. v. 15.

49. Ob. 3°. Si Crucem colere licet, quia sacrum Christi Corpus tetigit: colendus quoque asinus, quo Christus vectus est, colendum os Judæ proditoris, cui Christus osculum impressit, colenda servi manus, quâ Christus percussus fuit. Falsum consequens. Ergò et antecedens.

Resp. neg. seq. maj. Crucem Christi colimus non solùm quia Corpus ejus tetigit, sed et, quia instrumentum pretiosum fuit Redemptionis nostræ; illud porrò discriminis est inter inanima, et sensu, ac ratione prædita, quòd hæc non honorentur, nisi propter dignitatem et excellentiam, quæ ipsis insit: illa verò honorari possint propter aliquam ad alia honore digna habitudinem. Præterea tam asinus, quàm os Judæ, et manus servi in æstimatione prudenti Specialem habent indecentiam, propter quam coli non possunt; nec censentur habere aut retinere aliquam habitudinem ad corpus Christi aut ejus factam nostri redemptionem, quam tamen Crux habet.

Ob. 4to. Si Crux quia similitudi- 433
nem habet ad Cruem, in qua Christus mor- 50.
tuus est, colenda est, tum etiam clavi
quilibet erunt honorandi, cùm eorum
similitudinem gerant, quibus Christus
confixus fuit. Atqui absurdum est hoc
dicere. Ergo.

Resp. Dist. seq. maj. Clavi de in- Col2 p84.
dustriâ efficti ad representandum ali-
quem è clavis, quibus confixus est Domi-
nus, conc. quia cùm ad illum habeant
habitudinem, quamdam relativam excel-
lentiam sortiuntur. Clavi casu, aut de
industriâ ad usum profanum formati,
neg. seq. maj. Neque enim etiam hono-
ramus cruces fabricatas ad sustentandum
ruinosum ædificium, aut quasibet ima-
gines, nisi picta sint in memoriam ali-
cujus dignitate et sanctitate conspicui.

De Cultu Sanctarum 51.
Reliquiarum.

Reliquiarum cultum quarto Ec-
clesiæ soculo, ut supra S. 1o. annotavi-
mus, damnavit Eunomius arianus, et
sub finem ejusdem soculi, vel initio quinti
Vigilantius; quem soculo 16to Lutherus
Lutherus; huic Calvinus adhæsit, lib. de
reformanda Ecclesia necessitate, et in
admonitione de Reliquiis. Helvetica
confessio art. 5. hæc habet: Multò verò
minùs credimus reliquias divorum ado-
randas esse aut colendas. Et Anglica-
na posterior confessio: Doctrina Roma-
nensium, inquit, in veneratione et ado-
ratione reliquiarum, res futilis est, ina-
niter conficta.

At Ecclesia Catholica docet San-
ctorum reliquias esse venerandas, Deumque

434 per eas multa beneficia largiri. Conc. Trid. sess. 25. Sit proinde cum eâ

52. Conclusio.

Religuiis Sanctorum piè, citò ac utiliter religiosus cultus impenditur.

Prob. 1°. ex S. Scripturâ, in quâ religuiarum cultus et honos laudatur et commendatur crebris etiam miraculis. Judæi tabernaculum, Arcam, et quæ in ideâ concludebantur, religioso cultu prosequebantur, nec propterea uspiam in Scripturâ redarguuntur. Moyses ex Ægypto discedens ossa Josephi Patriarchæ honorificè secum transtulit, Exod. 13. v. 18. non humanô affectu, sed religiosâ pietate: si enim viventium corpora propter sanctitatem, quæ ex animâ redundat, religiosè colimus, cur Moyses cà cultûs specie, viri sanctissimi cineres et ossa prosequutus non sit? quæ prophetasse dicuntur, Eccli. 49. v. 19. 4. Reg. c. 2. v. 8. Elisæus pallio Eliæ aquas percussit, et divisa sunt. At uti pallio ad miraculum patrandum, ergo utique Eliæ pallio cultum et honorem exhibere. Eodem lib. c. 13. v. 21. Cùm in Elisæi demortui sepulchrum projectum esset cadaver, revixit homo et stetit erectus in pedes. Ergo honoratum fuit, et quidem cultu religiosô mortuum Elisæi corpus. Actorum 19. v. 11. Multi sanantur per sudaria et semicinctia Pauli Apostoli. Ergò qui hujus Apostoli sudaria et semicinctia ægrotis applicabant, ea haud dubiè religiosô honore prosequebantur. Matth. 9. v. 21. Mulier hemoroissa speravit se ex contactu fimbriæ Christi consecuturam esse sanitatem, et reipsa consecuta est. Ergò eam fimbriam tanquam rem sacram, et quidem probante Christô, venerata est: ergò piè et religiosè eadem Christi vestis coli posset, si jam præsens foret.

Prob. 2.do ex constanti Ecclesiæ traditione, cujus testes producimus Antiquos Patres et Concilia. Anno Christi 163. Polycarpus Smyrnæ martyriô coronatus est. Judæi Proconsuli suaserunt, ut illius ossa concremari juberet, Ne fortè, inquit Ecclesia Smyrnensis in suâ de morte Polycarpi Epistolâ apud Eusebium lib. 4. Hist. c. 15. ut ajebant, relictô crucifixô, hunc deinceps Christiani colere inciperent. Judæis igitur persuasum erat secundi sæculi Christianos cultum religiosum exhibere Martyrum reliquiis: nec id tanquam rem sibi falsò impositam negabant Christiani: sic enim eadem Smyrnensis Ecclesia prosequitur: Stulti! qui ignorarent nos nec Christum unquam posse relinquere, nec alium quemquam /: Latriæ cultu :/ colere. Illum enim utpote filium Dei adoramus, Martyres verò tanquam discipulos et imitatores Domini meritò amore prosequimur, ob eximiam benevolentiam, quam erga Regem et Magistrum suum declararunt. Addit eadem Ecclesia, se tandem collegisse Martyris ossa, opportunô tempore die festô publicè colenda.

Col 3. p. 35.

Idem Eusebius*, lib. 7. Hist. c. 19. sic de cultu, quo Christiani cathedram Jacobi primi ~~Jerosolymorum~~ Episcopi prosequebantur, loquitur: Jacobi cathedram .... adnostra usque tempora conservatam fratres illius Ecclesiæ, jam inde à Majoribus magnâ prosequuntur reverentiâ.

* obiit an. 340.

S. Basilius Magnus*, Hom. in Psal. 115. Si quis, inquit de legis veteris prohibitione, tetigerit cadaver, immundus erit. Nuncè diversô Martyris ossa quis-

* obiit an. 378.

quis attigerit, ob gratiam corpori insidentem, fit quadantenus Sanctificationis particeps.

* obiit an. 386. S. Cyrillus Hierosolymitanus*, Catechesi 18. Cathecumenos praxim Ecclesiæ de honorandis Martyrum reliquiis docet.

* obiit an. 393. S. Gregorius Nyssenus*, Oratione in Theodorum Martyrem hæc de illius reliquiis scribit: Nam ipsas attingere reliquias quam optabile sit, norûnt, quicunque sunt experti. Hi enim tanquam vivum ipsum corpus et florens videntes osculantur, et ad oculos, ad os, ad aures, ad omnes sensus admovent. Deinde Martyri, quasi integer esset, et præsens, supplicant, ut pro ipsis intercedat.

Eamdem de colendis Martyrum reliquiis et cineribus Ecclesiæ consuetudinem refert Chrysostomus*, in Oratione de S. Ignatiô, in quâ describit, quo cultu, quâ reverentiâ illius reliquias, Româ Antiochiam translatas, fideles prosecuti sint. Et Hom. 16. in 2. ad Cor. Sepulchra, inquit, Servorum Crucifixi Regis aulis splendidiora sunt.... accedentium studiô. Nam et is, qui purpurâ indutus est, ad illa Sepulchra se confert, ut ea amplectatur; abjectóque fastu supplex stans Sanctos deprecatur. Atque id non Romæ solùm fieri quispiam viderit, sed etiam Constantinopoli. Nam et hic quoque Constantinum Magnum filius ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in piscatoris vestibulô deponeret. Quodque sunt Imperatoribus in palatiis janitores, id in tumulô piscatoribus sunt Imperatores. Tum describit virtutes plurimas, quas Deus per Sanctorum reliquias operatur.

* obiit an. 407.

* obiit an. 420. S. Hieronymus*, eamdem Ecclesiæ

Catholicæ consuetudinem ex professô tuetur adversùs Vigilantium, qui sub finem quarti sæculi in eam insurrexerat; sicque ex receptô ubique usu contra illum hæreticum argumentatur: Malè ergo facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli, secundùm nos ossa veneranda, secundùm te, vilem pulvisculum, offert Domino Sacrificium, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria. Et non solùm unius urbis, sed totiùs orbis errant Episcopi /: nota morem universalis Ecclesiæ sæculô quartô:/ qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Basilicas Martyrum.

S. Ambrosius*, ep. 53. refert, se, Deô revelante, reperisse Mediolani Sanctorum Gervasii et Protasii corpora. * obiit an. 397.

S. Augustinus*, lib. 9. confess. c. 7. narrat miracula, quæ in translatione Sanctorum Gervasii et Protasii Mediolani patrata sunt, et quorum se oculatum fuisse testem scribit. Et lib. 9. de Civ. Dei c. 8. ea miracula, quæ in Africâ in inventione reliquiarum Stephani Protomartyris edita sunt, quæque ipse oculis conspexit, multis prosequitur. Necnon lib. 20. cont. faustum c. 21. Populus Christianus, inquit, memorias Martyrum religiosâ solemnitate celebrat, et ad excitandam imitationem, ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur, &c. Lib. autem 22. de Civ. c. 8. refert Reliquias Sanctorum honorificè circumgestari solitas, flores et vestimenta ex earum contactu virtutem hausisse; peregrinationes ad Sanctorum memorias fuisse susceptas, ibique plura miracula patrata. * obiit an. 430.

Col 4 p. 36.

438.

Sub Sylvestro Papâ, qui Ecclesiæ præfuit ab an. 314. usque ad an. 336. celebratum præsidente Osio Cordubensi ejus dem Papæ Legatô, quo autem annô incertum. Gangræ urbs Paphlagoniæ minoris Asiæ Provinciæ.

Concilium Gangrense*, Canone 20.mo et ultimô, Anathema ibi infligit, qui fidelium concursum ad Martyrum memorias vituperarant, et sacra, quæ in iis locis fiunt, aversantur.

Concilium Carthaginense quintum an. 398. celebratum supra T. 2. pag. 380. à nobis relatum vetat, ne altaria absque Martyrum reliquiis extruantur.

Concilium Ephesinum generale celebratum anno 431. suscipit, et probat Epistolam Cælestini Papæ I. in qua Patribus sic gratulatur: Vos Joannis Apostoli Reliquias præsentes veneramini.

Tum Monomachi, tùm Nicæna Synodus, generalis VII. convenientes, Martyrum reliquiis cultum esse impendendum. Quæ sequentibus sæculis habita sunt Concilia eumdem morem probarunt: ut videre est in Bracarensi III. an. 572. celebratô. Lateranensi IV. an. 1215. can. 62. et tandem Tridentinô, Sess. 25.

Prob. 3tiô Ratione. Quia cùm pium sit ac utile honorare Sanctos, qui sunt amici ac hæredes Dei, et in cœlô cum Christô regnant, quique multùm apud ipsum orationibus suis valent; piumque ac utile est, honorare eorum corpora, quæ fuerunt Templa Spiritûs Sancti, organa Sanctarum animarum, et instrumenta virtutum, cùm honor illis exhibitus redundet in ipsos Sanctos, quorum sunt pretiosæ exuviæ. Præterea,

si, prout probabimus, honestum sit honorare Sanctos in eorum Imaginibus; à fortiori pium ac honestum erit eos honorare in eorum reliquiis, quæ majorem ad illos habitudinem et conjunctionem habent, quàm imagines, quibus repræsentantur.

In his verò potissimùm consistit cultus, qui Sanctorum reliquiis exhibetur. 1o. Quòd solicitè quærantur, ac cum honore asserventur. 2o. Quòd in Ecclesiis honorificè collocentur. 3o. Quod Sanctos, ad eorum reliquiarum conspectum, pro Magistris ac Doctoribus habere nos profiteamur. 4o. Quòd eas osculis, contactu luminaribus, thure, peregrinatione, solemnitate festorum, pro more et usu Ecclesiarum probatò honoremus. Qui ritus et praxis Sanctorum reliquias venerandi cùm semper et ubique, etiam ante omnis Concilii celebrationem, in Ecclesiâ Catholicâ viguerit, prout ostendimus, eam esse traditionis Apostolicæ meritò et verè tuemur, juxta traditam à S. Augustino lib. 4. cont. Donatist. c. 24. regulam, ubi, Quod universa tenet Ecclesia, inquit, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.

Col sp. 39.

Solvuntur Objectiones. 53.

Ob. 1o. Deut. c. ult. Deus abscondit corpus Moysis per Angelum, ne scilicet illud Judæi adorarent. Ergò Deus prohibet adorationem corporum seu reliquiarum p.

Resp. neg. cons. Deus corpus Moysis abscondi voluit, ne Israëlita in idololatriam valdè propensi illud adorarent tanquam Deum, eique ut Deo sacrificarent, si sepul-

440. chrum ejus notum haberent. Quare Deus prohibet adorationem corporum Sanctorum, quia sit cultus latriæ, non verò quia sit huiusmodi cultûs dulia relativa.

54. Inst. Israëlitæ Moysem viventem quamvis stupenda ederet prodigia et miracula, cultu latriæ non adoraverunt. Ergo nec mortuum eo cultu adorassent. Ergo &.

Resp. neg. cons. Judæi Israëlitæ Moysem viventem cultu latriæ prosequi haudquaquam erant, quia ipse vivâ voce prædicabat edita à se miracula unius Dei virtute fieri. at, cessante hujusmodi admonitione, facilè in illius idololatriam ruissent, quemadmodùm ruerunt posteà in Serpentem æneum, cujus aspectu sanati fuerunt, quemque ob id, ut habetur lib. 4. Reg. c. 18. ab Ezechia Rege confractum novimus.

55. Ob. 2do Christus Luc. 11. v. 47. reprehendit Judæos, quòd Magnifica Sepulchra Prophetis ædificarent. Idem etiam habetur Matth. 23. v. 29. Ergo &.

Resp. neg. ant. Nam, omisso, quòd multis ex Antiquioribus hunc locum sic interpretatus sit, tantum legenti patet, Christum non arguere Sepulchrorum constructionem, sed Judæorum impietatem, quâ ab initiò persecuti sunt Prophetas: Patres eos occiderunt, Filii fingunt se detestari hanc impietatem, extruentes honorifica monumenta; cùm ipsi interim insectentur Prophetas, qui eos corripiunt, et ita per generationes singulas usque ad Joannem Baptistam et ipsummet Messiam, quos crudeliter enecarunt. Profectò id argumentum solent Concionatores in

peccatores contorquere, scilicet eos laudant et colunt, qui olim ab impiis persecutionem passi sunt, ut Sanctos, nec tamen ipsimet advertunt, se similiter calumniari viros pios, qui à suis nepotibus velut beati et Sancti celebrabuntur.

Ob. 3tiò Concilium Eliberitanum 56.
seu Iliberitanum Sæculò 3tiò celebratum*, can. 34. vetat, ne cerei per diem in coemeteriis accendantur, quia, inquit, Spiritus Sanctorum non sunt inquietandi. Ergo cultum Sanctorum prohibere videtur.

Resp. neg. cons. Canon iste non cæremonias cultûs divini et Sanctorum, sed necromanticæ impietatis, aut divinationis dæmoniacæ præstigias interdicit; quibus utebantur multi, qui ex Scholâ Simonis magi, discipulorumque ipsius, Basilidis, Menandri, Saturnini vipereorum geniminum prodierunt: unde etiam emersit intra Hispaniam diabolica Priscillianistarum propago incantamentis et divinationibus addicta. Ejusmodi Sacrilegis insidebat curiosa mortuorum evocatio per tenebriones dæmones, quorum invocatione suadebant mortuos evocari, atque ab his, quasi ab oraculis abditissima secreta et ventura facta posse addisci.

* Quo anno incertum. Ei interfuit Osius Cordubensis, qui postmodum Concilio Nicæno I. an. 325. celebrato nomine Sylvestri Papæ præsedit. Concilium porrò istud Iliberitanum dicitur ab urbe Iliberi septimô lapide à Civitate Granatensi distante in Boeticâ Provinciâ Hispaniæ. Ejus nunc rudera tantummodò et parietinæ supersunt in colle, qui modò Mons Elbiræ vulgò dicitur. Ab aliquibus tamen celebratum hoc concilium Eliberitanum dicitur an. 305. adeoque sub initium Sæculi 4ti.

Ob. 4tò S. Hieronymus Vigilantio objicienti idololatriam esse accendere cereos coram Reliquiis, respondet, eos solùm id facere, qui Zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam. Ergò ꝑ. 57.

Resp. neg. cons. S. Hieronymus ibi tantùm de iis loquitur, qui ex superstitione cereos accendebant, putantes inde Mar-

Col. 38.

442. tyres illustrari, ut colligitur ex his Vigilantii ironicis verbis: Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrari. Sclusâ autem hac superstitione Hieronymus ibidem et alibi, ut in Epitaphio Paulæ, hunc ritum expressè approbat.

57. Ob. 5.to Honor non tribuitur nisi propter excellentiam. Atqui nulla est excellentia in ossibus et cineribus mortuorum. Ergo.

Resp. Dist. min. nulla est excellentia absoluta, conc. relativa, neg. min. Itaque nec Sanctorum ossa, nec vestimenta propter se præcisè veneramur, sed propter Sanctos, quibus hîc modò inservierunt.

58. Ob. 6.to Reliquiarum cultus expositus est falso cultui: nam pro reliquiis Sanctorum sæpè exponuntur ossa improborum hominum, putà latronum. Ergò.

Resp. neg. ant. Hoc enim falsum est de reliquiis, quæ publicè cum approbatione Episcoporum in templis exponuntur. Semper enim Ecclesia diligenter curavit, ne reliquiæ sine sufficienti examine et approbatione exponerentur Fidelium veneration. Lege Conc. Trid. Sess. 25.

59. Ob. 7.mò Tribus prioribus Ecclesiæ sæculis notus non fuit Christianis reliquiarum cultus; si enim Martyrum reliquias coluissent, gentiles inde sumpsissent argumentum in defensionem cultûs, quem quibusdam mortuis hominibus deferebant. Ergo.

Resp. neg. ant. 1°. notus fuit de reliquiarum cultus Christianis, prout abundè demonstravimus. 2°. Judæis, ut patet ex epistolâ Smyrnensis Ecclesiæ de morte S. Polycarpi, quam supra adduximus, unde idum Christianis crimini vertebant. 3°. Notus quoque fuit pluribus Ethnicis, qui, ne Christiani posserent Martyrum ossa post mortem colere, enixè petebant à Proconsulibus, ut Martyrum corpora cremarent, eorúmque cineres in profluentem dejicerent. Equidem Christiani cavebant, ne Christianæ religionis mysteria gentilibus panderentur, ne scilicet, ex iis malè intellectis, arriperent occasionem eos, ut consueverant, superstitionis insimulandi. Cæterùm longè distabat hæc Christianorum praxis à Gentilium praxi: isti enim adorationem latriæ hominibus mortuis deferebant, eorúmque Spiritus mortuorum sepulchra circuire fingebant: idi è contrà Martyrum, quorum Spiritus jam in cœlis regnarent, reliquiis religiosum quidem cultum, sed latriâ longe minorem, exhibebant.

De cultu Sacrarum Imaginum. 60.

Omnem Imaginum cultum ut idololatricum et illicitum rejecerunt, prout Sup. S. 1°. annotavimus, præter Judæos et Mahumetanos, Manichæi, Marcionitæ, Eutychiani, Theopaschitæ, sed imprimis sæculo octavo Leo Isaurus Orientis Imperator. Sæculo duodecimo Valdenses, Petrobusiani, Henriciani, et Albigen-

les, et tandem Sæculô 16.to Lutherani et Calvinistæ. Quos omnes unà cum errore suo damnavit Ecclesia. unde ponitur cum eâ

Col. 7p. 39.

61. Conclusio.

Pius ac licitus est Imaginum cultus, nec idololatriæ incusandus.

Prob. 1.o Auctoritate Scripturæ. Quamvis enim Deus Judaico populo crasso et ad idololatriam proclivi omne simulacrum prohibuisset; attamen Exod. 25. duo Cherubim super Arcam ponuntur, et procul dubio in honore aliquo habebantur ab iis, qui proni Arcam adorabant. Et verò ~~[illegible]~~ Cherubimi ad Arcæ latera positi, imagines erant Angelorum, idque Judæis notum erat. Atqui Cherubimis istis cultus à Judæis exhibebatur; alio enim modô quàm res prophanæ apud eos habebantur. Ergo cum rebus prophanis, saltem si sint alicujus dignitatis, deferatur honor civilis, sacris deferri debet religiosus, hoc est, à virtute religionis imperatus.

Num. 21. v. 9. Serpens æneus erigitur, ut qui eum aspexissent, à serpentibus vulnerati sanarentur. Atqui talis aspectus, utique venerationem et cultum aliquem religiosum connotabat. Ergò.

Quantô etiam honore ac cultu à Judæis Arca Domini honorata fuerit, nemo nescit. Deut. 10. v. 8. Separavit Moyses Tribum Levi, ut portaret Arcam Domini. Josue 3. v. 4. Dum Arca portaretur, Cavete, ajebat Josue, ne appropinquetis ad Arcam. Ibid. c. 7. v. 6. Josue pronus cecidit in terram coram Arcâ Domini usque ad vesperam, tam ipse, quàm omnes Senes

Israël. 1. Reg. 6. v. 19. Percussit Deus de viris Bethsamitis, eoquòd vidissent Arcam Domini. Et Lib. 2. Reg. c. 6. v. 7. Cùm Oza manum suam ad Arcam, ne fortè caderet, extendisset, percussus est à Dominô super temeritate suâ. Ibidem narratur, quàm insigni pompâ David in civitatem Sion Arcam induxerit. Atqui Arca hæc, quam summô cultu ac reverentiâ Judæi venerabantur, non erat nisi opus ex lignis manufactum. Ergò non ex te idicitus est, nec idololatricæ arguendus cultus, qui rebus inanimatis et fictis impenditur propter exemplar, quod repræsentant, et ad quod referuntur.

Denique Judæi ad Dei nomen, externa venerationis signa exhibebant. Paulus etiam monet Philipp. 2. v. 10. ut quisque, auditô Jesu nomine, in genua procumbat. Atqui ideo Judæi, auditô Dei nomine, exhibebant externa venerationis signa; ideo Christiani ad Jesu nomen genua flectunt, quòd Dei et Jesu nomina, sint Dei et Jesu imagines, non quidem permanentes, ut sunt figuræ in tabellis depictæ, sed transeuntes. Ergò pius et licitus est, nec idololatricæ insimulandus religiosus Imaginum cultus.

Prob. 2do. Ecclesiæ Traditione et usu antiquô, qui Ecclesiâ in libertatem vindicatâ cœpit esse communis, hoc est, à quartô sæculô usque ad præsens tempus; cùm priùs non tam frequens fuisset.

In Oriente S. Basilius, Oratione in Sanctum Barlaam Martyrem ait, gaudere se, quòd Pictores felicius penicillô suô, obiit an. 378.

quàm ipsemet oratione manum Martyris pro Christô combustam expresserint. Et Ep. ad Julianum Apostatam. Characteres imaginum eorum /: Apostolorum et Martyrum :/ honoro et adoro, inquit, præcipuè cùm hoc traditum à Sanctis Apostolis, et non prohibitum sit.

Ejus frater S. Gregorius Nyssenus*, Oratione de Filii et Spiritûs Sancti Divinitate, dicit se moveri ad lacrymas, dum conspicit Isaac in picturâ stantem sub gladio patris. Et Oratione in S. Theodorum, laudat Pictorem, qui labores S. Martyris oculis exhibet.*

Eusebius Cæsariensis, lib. 7. Hist. c. 18. testatur se vidisse Christi Statuam, quam mulier à profluviô sanguinis per ipsum liberata, ut Evangelistæ referunt, in memoriam accepti beneficii erexerat. Addit Philostorgius Arianus Eunominianus*, lib. 7. Hist. c. 3. herbam ad pedes hujus Statuæ enatam adversùs morbos omnes, præcipuè verò adversùs tabem efficacissimum fuisse remedium, Statuam verò in templum fuisse translatam, ubi ei competens observantia deferebatur, et quam spectandi causâ cupidè multi adventarent, amorem ipsius Archetypi declarantes. Eam postmodum regnante Julianô Apostatâ, Gentilium furore per urbem circumligatis ad pedes funibus, tractam fuisse, Christianis summè dolentibus.

Idem Eusebius, lib. 3. de vita Constantini, c. 49. narrat, tantum divini numinis amorem in eo Principe fuisse, ut in totius Palatii eminentissimô cubiculô, in maximâ tabulâ, quæ in mediô lacunaris inaurati expansa est, signum Dominicæ passionis ex aurô pretiosisque lapidibus elaboratum infixerit; atque hoc tanquam præsidium ac tutelam Imperii piissimum Principem statuisse. Eodem quoque librô memorat, in

*obiit an. 393.

Cl. 8. p. 40.

*Solet enim, ait, pictura tacens in pariete loqui maximéque prodesse.

*Historiam suam prosequitur usque ad initium Sæculi 5ti finem scribendi faciens, quo tempore Theodosius junior Valentiniano juniori Romani Imperii sceptra tradidit, qui an. 427. totius Italiæ Imperator renuntiatus est.

Templis à Constantinô extructis in Palæstinâ multam fuisse imaginum aurearum et argenteearum copiam. 447.

Sozomenus*, lib. 4. Hist. c. 20. Scribit Statuam Christi, quam erexerat Syrophoenissa, in Templum à Christianis religiosè introductam fuisse; ex Eusebiô loc. cit. — Historiam suam ab an. 324. usque ad an. 439. perducit. mortuus fertur an. 450.

S. Chrysostomus*, Hom. 45. ad populum, testatur neminem esse, qui non ambiat Sancti Meletii imaginem. — * obiit an. 407.

S. Asterius Amaseæ in Pontô Episcopus*, in Sermone de S. Euphemiâ scribit ad ejus loculum appensam fuisse tabulam quæ Sanctæ martyrium ad vivum adumbraret: Pictor verò, ait, etiam ipse religiosè per artem suam totam pro viribus in linteô designatam historiam ibidem juxta thecam Sacram appendit, ac proposuit spectaculum. — * floruit sub finem Sæculi quarti.

Theodoretus*, in Historiâ Religiosâ refert, effigiem Sancti Simeonis Stilitæ ubique haberi ad præsidium. — * obiit an. 460.

In Occidente, S. Ambrosius*, Ep. 53. meminit picturæ S. Pauli Apostoli. Et in Oratione de obitu Theodosii, Sapienter, inquit, Helena egit, quæ crucem Christi in capite Regum levavit, et locavit, ut crux Christi in Regibus adoretur. — * obiit an. 397.

S. Hieronymus*, in vita Paulæ, ait illam ante crucem Christi prostratam adorasse, quasi pendentem in eâ Christum vidisset. Et Ep. 44. aliàs 17. quæ est Paulæ et Eustochii ad Marcellam: Venerabantur, inquit, quondam Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim, et Propitiatorium, et Arca Testamenti.... Nonne verabilius tibi videtur Sepulchrum Domini? — * obiit an. 420. — /ne

S. Augustinus* lib. 3. de Trinitate c. 10. loquens de Sacris Signis, quales sunt imagines, litteræ, et Sacramenta: Sed quia,

448. inquit, hæc hominibus nota sunt, quia per hæ-
P. S. p. 41. mines fiunt, honorem tanquam religiosa pos-
sunt habere, stuporem tanquam mira non
possunt. Et lib. de moribus Ecclesiæ, c. 75.
conqueritur, abusus irrepsisse in Imaginum
venerationem.

S. Paulinus et Severus Sulpitius
m * S. Paulinus obiit an. 431. Sulpitius verò 420. suas Basilicas picturis exornaverant, ex
Epistolâ 12mâ ejusdem Paulini, qui et Ep. 11.
testatur, Christi crucem, ubi reperta fuit,
statim ubique coli coepisse.

Rusticus Diaconus*, Dialogô contra
n * Scripsit Dialogum suum circa an. 548. Acephalos: Clavos, inquit, quibus confixus
est Christus, et lignum venerabilis crucis,
omnis per totum mundum Ecclesia absque
ullâ contradictione adorat. Porrò
quæ hû à Patribus de S. Crucis, Clavorum,
et Sepulchri Domini cultu et adoratione
dicuntur, ad Sacrarum aliarum Imagi-
num venerationem aptari possunt, pro
ut patet, necnon de iis dici queunt.

Sanctus denique Gregorius Magnus*,
no * obiit an. 604. lib. 9. Epist. Indictione 2. Ep. 52. ad Secundi-
num, mittens ei Imaginem Christi, quam
ille petierat, Scio, inquit, quòd Imaginem
Servatoris nostri non ideo petis, ut quasi De-
um colas, sed ob recordationem filii Dei in
ejus amore recalescas, cujus tu imaginem
videre desideras. Et nos quidem, non quasi
ante divinitatem ante illam prosterni-
mur, sed illum adoramus, qui per imagi-
nem, aut natum, aut passum, sed et in thro-
no sedentem recordamur.

Prob. 3tio Decretis Conciliorum
generalium VII. VIII. et tandem Triden-
tini. Concilium Nicænum II. Oecumenicum
VII. ex professô contra Iconomachos pro cul-
tu et honore Imaginum an. 787. convoca-

tum, Act. 7. in Definitione fidei sic pronun-
tiat: Sequentes Divinitùs inspiratum Sancto-
rum Patrum nostrorum magisterium, et
Catholicæ traditionem Ecclesiæ (nam Spiri-
tûs Sancti hanc esse novimus, qui ipsarum
in ipsâ inhabitat) definimus in omni certi-
tudine et diligentiâ, sicut figuram pretio-
sæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles et san-
tas imagines proponendas, tam quæ de
coloribus et tessellis, quàm quæ ex aliâ ma-
teriâ congruenter in Sanctis Dei Ecclesiis,
et sacris vasis et vestibus, et in parietibus
ac tabulis, domibus et viis: tam videlicet
imaginem Domini Dei et Salvatoris nos-
tri Jesu Christi, quam intemeratæ Domi-
næ nostræ Sanctæ Dei genitricis, honora-
bilium quæ Angelorum, et omnium San-
torum, simul et almorum virorum. Quan-
tò enim frequentiùs per imaginalem for-
mationem videntur, tantò qui eas contem-
plantur, alacriùs eriguntur ad primitivo-
rum earum memoriam et desiderium, et
his osculum et honorariam adorationem
tribuendam; non tamen ad veram latriam,
quæ secundùm fidem est, quæque solam na-
turam divinam decet, impertiendam.....
Imaginis enim honor ad primitivum tran-
sit; et qui adorat imaginem, adorat in eâ
depicti subsistentiam.....

Concilium Constantinopolitanum
IV. Oecumenicum VIII. an. 869. celebratum,
act. 10. Can. 3. de cultu Imaginum decernit
his verbis: Sacram Domini nostri effigiem
eâdem quâ sancta Evangelia veneratione
colendam statuimus. Ut enim per sylla-
bas in Evangeliô scriptas salutem consequ-
untur omnes, ita per imagines arte colori-
busque pictas et expressas docti juncta ac
indocti ex objecta re utilitatem capiunt.

Col 2 p. 42.

4to. Quocunque enim in Syllabis oratio, hoc in coloribus pictura docet et representat. Ergò quicunque Christi Salvatoris imaginem non adorat, is in secundò Christi adventu non videat ipsius faciem. Eâdem ratione intemeratæ genitricis illius effigiem, Sanctorúmque Angelorum, quemadmodùm illos Sacrarum Litterarum pagina describunt, ac Sanctorum omnium veneramur et colimus. Qui aliter sentiunt, anathema sunto.

Denique Concilium Tridentinum aliorum vestigiis inhærens, fidem Ecclesiæ nitidè exponit Sess. 25. Imagines Christi, ait, Deiparæ, et aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et reverentiam impertiendam: non quòd credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quòd ab iis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia sit in imaginibus figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ representant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præsertim verò Secundæ Nicænæ Synodi, decretis contra Imaginum impugnatores est sanctum.

Prob. 4to Ratione. 1o Quia imaginum cultus nihil in se continet, quod sit intrinsecè aut per se malum. Non enim, ut ait Concilium Trid. non laudatum, aliquam

in illis aut divinitatem, aut virtutem agnoscimus: in illis spem nullam aut confidentiam ponimus; sed propter exemplaria, quæ repræsentant, eas honoramus; per illas ad nostrum in Christum amorem et grati animi sensum propter tot beneficia, quibus nos cumulavit, significandum excitamur; præclara Sanctorum facta in memoriam revocamus, et ad eorum imitationem accendimur. 2º. Quia proinde cultus iste licitus est, cùm neque lege naturali, utpote nullam, ut dictum, in se malitiam continens; neque lege positivâ, quippe nulla saltem in novô Testamentô extat eum prohibens, vetitus sit. 3º. Quia honestum est, personam honorabilem honorare non solùm in se, sed etiam in imagine. Nam eo ipso quòd persona honorabilis sit, digna est, quæ honoretur non solùm in se, sed etiam in iis, quæ specialem habent cum eâ habitudinem vel conjunctionem, ut naturali lumine patet. Certe Imperatorum Imaginibus civilem cultum exhiberi, nemo ignorat: quidnî ergò et Imaginibus Christi, B. Virginis, et aliorum Sanctorum cultus aliquis impertiatur? non latriæ quidem, nec etiam merè civilis, sed inter utrumque quasi medius, qui, ob excellentiam et merita eorum, q religiosus dicitur, atque ad religionem pertinet.

q quos repræsentat,

62.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1º. Deut. 5. v. 8. Deus expressè prohibet ne ullum fiat sculptile, Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium, quæ in Cœlô sunt desuper, et quæ in terrâ deorsum, et quæ versantur in aquis sub terrâ. Idem habetur Exod. 20. v. 4. Ergò p.

452. Resp. ney. cons. Ad textum duplex est nostrorum Theologorum interpretatio. 1a Quòd ibi prohibeatur omne sculptile, ut adoretur; statim enim Sacer contextus addit: Non adorabis ea, et non coles, Ego enim sum Dominus Deus tuus: Deus æmulator. Hâc lege Deus præmunire vult Judæos adversùs infamem Gentium idololatriam, de quibus Apostolus Rom. i. v. 23. ait: Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum et serpentium... Citatis itaque Exodi et Deuteronomii verbis idololatria prohibetur, seu cultus imaginum aut simulacrorum, quæ vel pro Diis habentur, vel in quibus tanquam Dii coluntur, qui reipsâ Dii non sunt; vel denique in quibus numinis alicujus aut divinæ virtutis latere creditur. Porrò istud nihil commune habet cum nostrâ Catholicâ de cultu imaginum doctrinâ.

Col 3 p. 43.

2da Interpretatio est, hâc positivâ lege Judæis omninò interdictum fuisse omnem imaginum, simulacrorum ac sculptilium usum, ob imminens silicet idololatriæ periculum, ad quam rudis ille populus, et ex se proclivis erat, et commercio atque exemplo Gentilium pertrahi facile poterat. Lex verò ida positiva ad tempus fuit, non perpetua; extant enim apud Judæos probata simulacrorum exempla Arcæ, Cherubinorum, Serpentis ænei: eâ igitur lege non magis jam obstricti sumus, quàm lege abstinendi à sanguine et suffocato, quæ ad tempus duntaxat ab Apostolis lata fuit, non perpetuò duratura.

63. lib. 2. Concilium Eliberitanum can. 36. ait: placuit, picturas in Ecclesiâ esse non

debere; ne quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur. Ergo.

Resp. neg. cons. Varie sunt hujus Eliberitani Canonis interpretationes. 1a. Hoc canone rejectas esse imagines pictas, non sculptas, propter idololatriæ metum, ut de Salvatore in formâ Jovis picto narrat Nicephorus, lib. 15. c. 23. 2a. Ne imminente persecutione Christiani auferre eas secum, aut occultare non possent, et ita Judæis et Paganis ludibrio essent. Ita Sanderus, lib. 2. c. 4. de cultu Imag. 3a. Ne pictura facilè deformarentur parietum crustis dejectis, et inde, amissâ venerabili formâ, potiùs contemptui essent, quàm venerationi. 4a. Propter periculum idololatriæ, quod his temporibus fortè immineat! 5a. Pro temporum varietate, varia esse Ecclesiarum disciplinam statuta. 6a. Denique, hoc canone vetari duntaxat Deum in parietibus depingi, ne scilicet, quem gentibus et Catechumenis immensum omnipotentem, invisibilem, æternum, incomprehensibilem, spiritualem, corporis et materiæ expertem et immunem prædicarent, eum ipsi gentiles et Catechumeni in ipsorum Ecclesiis lineis et coloribus circumscriptum et comprehensum cernerent. Ne igitur Divini numinis majestas minueretur, et aliud de Deo pingeretur, quàm prædicarent, et quem supra homines extollerent humanâ specie depictum oculis objicerent; vetant hi Patres, ne in Ecclesiis Dei imagines suspendantur: hæc autem ad Sanctorum imagines nullatenus pertinere, proinde citato Canone à Patribus Eliberitanis nentiquam fuisse rejectas.

Verùm quidquid sit, certum est Variam fuisse olim primisque Ecclesiæ Sæculis circa pingendas Dei et Trinitatis, necnon Christi et Sanctorum Imagines disciplinam, pro variis scilicet temporum, locorum, ac personarum circumstantiis. Equidem primis illis Ecclesiæ Sæculis fuit aliquis imaginum usus, prout patet ex iis, quæ supra pag. 446. Ex Eusebiô, Philostorgiô et Sozomenô retulimus, ubi insuper Eusebius commemorat pictas effigies Christi Domini et Apostolorum Petri et Pauli, quas ad suam usque ætatem servatas se vidisse asserit. Tempore item Tertuliani* antiquus mos erat sculpendi Christum in calicibus sub specie Pastoris ovem errantem in ovile reportantem*. Dumque Concilium Eliberitanum* Imagines in Ecclesiis esse vetat, eas antè in Templis pingi solitas fuisse prodit.

Usum autem illum rarum fuisse iis temporibus, probatur auctoritate illius Ævi Scriptorum. S. Clemens Alexandrinus, lib. 5. Stromat. sic scribit: Moyses multis ante Sæculis apertè legem sanxit, nullum oportere sculptile vel pictam imaginem. In eodem argumento sunt Tertuliani*, lib. de Spectaculis, c. 23. et Origenes*, lib. 7. cont. Celsum; concluduntque artem pingendi Christianis ut et Judæis interdictam, ille lib. de Idololatriâ, contra Hermogenem, c. 10. hic lib. 4. cont. Celsum. Ratio autem, quæ Veteres movere debuit, ne imagines pingerent, hæc fuit. Colligenda nimirum erat Ecclesia Christiana ex Judæis et Gentilibus, juxta illud Ephes. 2. v. 14. 15. et 16. Medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ .... ut duos condat in semetipso .... et reconciliet ambos in uno corpore. At

* obiit an. 216.

* lib. de pudicitiâ c. 7.

* celebratum dicitur an 305.

Col. 4 p. 444

* obiit an. 220.

* obiit an. 216.

* obiit an. 254.

Apostoli hinc Judæos à Religione Christianâ maximè deterruissent, si contrà legem ipsis præscriptam imagines colendas proposuissent; si enim tot labores et pugnas sustinuerunt, ut Neophytos à cæremonialibus præceptis avellerent, profectò sine contradictione non perfecissent id, quod longè difficillimum erat, ut nempe Judæos contrà præscriptum veteris Legis ad cultum Imaginum adduerent. Superest ergò, ut dicamus, Apostolos, sicut ad tempus indulserunt Judæis servare nonnulla veteris Legis mandata, qualis est abstinentia à suffocatis et sanguine, ab Idolothytis; sic de Imaginibus pingendis aut colendis prorsùs siluisse. Indè gentiles à cultu Idolorum ubique receptò erant revocandi: evidens autem periculum erat, ne homines adorare soliti simulacra, similia gratiâ colerent Imagines Christi et Sanctorum. Eo animò affectos fuisse Gnostricos notant Sanctus Irenæus, lib. 1. c. 24. et S. Epiphanius, lib. de hæres. Jactabant illi, se habere Imagines Christi à Pilati exemplari desumptas, quas summoperè occultabant, et Gentilium more venerabantur.

Unde, prout dictum, varia fuit olim Ecclesiarum circa pingendas Dei et Trinitatis, necnon Christi et Sanctorum Imagines disciplina. Quoad Dei et Trinitatis Imagines, quoties fuit periculum, ne aut latriæ cultus iis impenderetur, aut injiceretur suspicio Deum corporeum esse, prohibita sunt hujusmodi depicta Dei et Trinitatis Imagines. Eas improbarunt

456. Tertullianus, lib. de Spectaculis, c. 23. Clemens Alexandrinus, lib. 6. Strom. Origenes, lib. 8. contra Celsum supra citati. Minutius Felix, in Dial. Lactantius, lib. 2. Instit. c. 2. S. Augustinus, lib. de fide et Symbolô, c. 7. Nefas est Christiano, inquit, Simulacrum Deo collocare in Templô. Eas verò aliquando probavit, aut saltem toleravit Ecclesia, cùm passa est, Patrem divinum sub specie Senis, Spiritum Sanctum sub figurâ columbæ delineari. Amphilochiô teste*, S. Basilius columbas Spiritum Sanctum repræsentantes suspensas habuit. S. Paulinus*, in Basilicâ S. Felicis Trinitatis imaginem depingi permisit. In libellô supplici seu deprecatione Clericorum et Monachorum Antiochiensium, contra Severum Eutychianorum Acephalorum ducem*, quam referunt Patres Nicænæ Synodi II. act. 5. referunt, hæc leguntur: Neque ipsis Sanctis Altaribus vel Sacratis vasis pepercit; illa quidem eradens ut scelesta, hæc autem conflans et erogans his, qui similis moris sunt. Porro præsumptum est ab eo etiam hoc, ô beatissimi: eas enim, quæ in typum Sancti Spiritûs sunt aureæ et argenteæ columbæ suspensæ supra divina Sacramenta et Altaria /: Sacros fontes et lavacra :/ cum aliis defraudabat, dicens non oportere columbas nominari Spiritum Sanctum.

*obiit an. 394.

*obiit an. 431.

*circa an. 518.

Col. 5. p. 45

Quantùm ad Christi et Sanctorum Imagines, usum illarum periculosis temporibus illis alicubi fuisse interdictum patet tùm ex citatô Canone Concilii Eliberitani, qui de omnibus omninò imaginibus loqui videtur; tùm ex Epistolâ Eu-

Sebii Cæsariensis ad Constantiam, in Synodo VII. act. 6. admissâ, in quâ negat se votis ejus, quibus peterat Christi imaginem, satisfacere posse, cùm Christus constet duplici naturâ, Divinâ scilicet, quæ omnibus ignota est, et humanâ, quæ ex mortuis et inanimatis coloribus non possit adumbrari, tota jam in deitatis gloriam absorpta; tùm ex Epistolâ S. Epiphanii* ad Joannem Jerosolymitanum, in quâ narrat se, cùm iter faceret per ejus dioecesim, commotum fuisse, quòd in quodam Oratorio imaginem Christi, vel alicujus Sancti*, in velo expanso depictam vidisset, adiit se velum lacerasse, rogatque Joannem, ut vigilet contra hunc usum, quem contrâ Scripturæ auctoritatem pugnare contendit. Hanc Epistolam Supposititiam putat S. Joannes Damascenus: eam tamen integram refert S. Hieronymus Ep. 101.

* obiit Epiphanius an. 403.

* non memini, inquit, cujus imago fuerit.

Iconomachi in Synodo VII. duo loca ex aliâ S. Epiphanii ad Theodosium Imperatorem Epistolâ act. 6. protulerunt, ubi scribit, se multis egisse cum Chorepiscopis suis, ne imagines inducrent sive in Ecclesias et Sanctorum coemeteria, sive in domum communem: Sed, inquit, non sum receptus ab his, neque audire vocem meam parvulum passi sunt. verùm et hanc falsò esse adscriptam ab Iconomachis Epiphanio tuentur Patres dictæ Synodi VII. ibid. Quòd si tamen verum esset, eas esse S. Epiphanii, nihil tamen aliud inde erui potest, nisi quòd usus imaginum S. Epiphanio, cùm cæteris placeret, probatus non fuerit, atque in Ecclesiâ illâ,

458. cui praeerat Epiphanius, adhuc viguerit iis temporibus disciplina, quae licèt tunc in pluribus aliis abrogata jam fuisset, per multum tamen temporis spatium, hoc est per tria priora saecula, saeviente persecutione, in aliquibus Ecclesiis obtinuerat. adeoque sententiam S. Epiphanii idâ aetate fuisse singularem, nec proinde contrariae praeferendam, quae, ipso Epiphaniô teste, tùm communis erat inter Episcopos; ac denique omni tandem depulsô periculô, et populô Christianô benè informatô, ubique obtinuit. unde ex his S. Epiphanii testimoniis peti non potest argumentum contra hodiernam praxim de collocandis in Templô Sanctorum imaginibus: nimirum absque fidei et morum periculô disciplina vetus in novam aliam, rationibus veteris disciplinae non ampliùs stantibus, mutari potest.

64. Ob. 3.° Plurimorum Patrum testimonia. S. Irenaeus, lib. 1. c. 24. ponit inter haereses Carpocratis, quòd coleret imaginem Christi et Pauli.

Tertullianus, lib. de Idololatriâ, c. 3. invehitur in auctores seu artifices statuarum et imaginum, quos diabolus, inquit, saeculo intulit.

Origenes, lib. 4. contra Celsum, ait, nullum apud Judaeos pictorem admissum fuisse nullum statuarium.

S. Epiphanius, haeres. 79. ait, Haereticos esse, qui imaginem B. Virginis circumferunt, et colunt.

Resp. omissô, quòd memorati Patres, juxta eam, quae tum ob idololatriae periculum, prout primùm annotavimus, in ipsorum Ecclesiis circa sacras ima-

gines vigebat, disciplinam locuti fuisse videantur, is duntaxat Imaginum cultus ab ipsis reprobatur, qui vel superstitiosus, vel ad morem et usum Gentilium effictus est ac favens idololatriæ; vel insolitus, qui Christianis offensioni ac scandalo propter Gentiles esse poterat; non verò cultum legitimum, certis legibus ac limitibus adstrictum, qualem Ecclesia agnoscit, ac nos tuemur.

S. Irenæus Carpocratem non idcirco redarguit, quòd Imaginem Christi haberet, sed eam ipso eodémque modô coleret, quo gentiles idola colunt, nimirùm sacrificiis; ut clariùs exponunt SS. Epiphanius hæresi 27. et Augustinus hæresi 7. Accedit, quòd Hæreticus ille Imaginem Christi et Pauli eodem locô haberet, quo Imagines Homeri, Pytagoræ, Platonis et Aristotelis.

Tertullianus manifestè agit contrâ Idololatras, qui Imagines tanquam Deos, aut Deô plenas, infandô cultu adorabant; et cùm animi fervidioris esset, contrâ ipsammet artem sculptorum ac pictorum vehementer invehitur. Sed hæc ad nos non pertinent.

Idem planè sensus est Origenis et Clementis Alexandrini supra citati.

S. Epiphanius (omisso, quòd hac de re peculiarem, prout primùm advertimus, sectatus sit opinionem) similiter hæresi 79. reprehendit Collyridianos, non quòd Imaginem B. Virginis, et ipsam Virginem honorarent, sed quòd eam pro Deâ haberent, eique offerrent sacrificium, quod uni Deo debetur.

Ob. 4.to S. Ambrosius de obitu Theodosii ait, Helenam Crucem Domini invenisse, Regem adorasse, non lignum utique, qui 65.

est error gentilium. Sic etiam loquitur S. Hieronymus in c. 3. Danielis: ubi, Cultores Dei, inquit, eam /: statuam :/ adorare non debent. Et S. Augustinus, lib. 1. de moribus Eccles. Catholicæ, c. 34. Nolite, inquit, consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsâ verâ Religione superstitiosi sunt vel ita libidinibus dediti, ut oblati sint, quod quid promiserint Deo. Novi multos esse sepulchrorum et picturarum adoratores.

Denique S. Gregorius Magnus in duobus ad Serenum Episcopum Massiliensem Epistolis reprehendit eum, quòd Imagines fregisset; laudat verò, quòd eas adorari non permisisset, quo ad historiam duntaxat, ad memoriam, et doctrinam populi, non ad cultum positæ sunt.

Resp. ad 1. S. Ambrosium loqui de adoratione, quæ similis esset ei, quæ idolis à gentilibus exhibebatur: hoc est, S. Doctor scripsit, Helenam non adorasse lignum, aut credendo, quòd in eo esset aliqua divinitas, aut suum affectum in ligno collocando, sed ita, ut Deo simulans crucem, ac coram eâ procumbens, internum servitutis affectum ad Christum direxerit.

Ad 2. S. Hieronymus loquitur de iis, qui statuas Imperatorum, quos pro Diis habebant, divinis honoribus afficiebant; arguit enim eos, qui id faciunt, quod tres pueri facere renuerunt in Babylone.

Ad 3. S. Augustinus eo loci de iis non agit qui tumulos Martyrum, et picturas Sanctorum colebant: sed de iis, qui ad quorumcunque hominum sive tumulos, sive picturas, festa conviviis, aliisque lætitiæ demonstrationibus celebrare vide-

cantur. Hos autem arguit S. Augustinus, quòd 461.
ide prophanorum hominum cultus Religionis
Christianæ moribus repugnet.

Ad 4tum S. Gregorio citatis ad Sere-
num Epistolis, eam solùm damnat, et ab Ima-
ginibus excludit adorationem, quam im-
periti aliqui nimiò Zelò accensi, incom-
petenter et inconsideratè iis impende-
bant; quo abusu in extremam partem
adductus Serenus, jusserat imagines idas
à Templis tolli et frangi. Col 9 p. 49.

Ob. 5tò Duo Concilia Constanti- 66.
nopoli coacta unum sub Leone Isauro,
an. 726. alterum sub Constantino Copronj-
mò an. 754. definierunt, cultum imagi-
num esse idiotum. Ergo &.

Resp. neg. cons. Quia illa Concilia
prorsùs illegitima seu potiùs Conciliabula
fuerunt. Nam Summus Pontifex nec per
se, nec per suos Legatos illis interfuit et
præsedit, nec abnudo Summò Pontifice
confirmata sunt, imò primum à Grego-
rio II. alterum à Stephano II. reprobatum
fuit, testè Adriano I. in Ep. ad Constanti-
num et Irenem, et à tribus simul Orienta-
libus Patriarchis Alexandrinò, Antiocheno
et Jerosolymitanò; tandem postmodum
ab universâ Ecclesiâ in Concilio Oecumeni-
cò VII. Defuêre igitur his Concilibus seu potiùs
Conciliabulis requisita conditiones, legi-
tima convocatio, Romani Pontificis con-
sensus et auctoritas, atque approbatio &.
unde illorum nulla est auctoritas.

Ob. 6tò Libri Carolini, seu opus sub 67.
Caroli magni nomine in quatuor libros di-
stinctum, et contrà Definitionem Concilii
Nicæni II. seu Oecumenici VII. exaratum, quo-
rum selecta Capita ipse Carolus Magnus mist

462. ad Adrianum I. Summum Pontificem.

Resp. Hos libros et similes nullius esse auctoritatis, et omninò rejiciendos, cùm errorem ab Ecclesiâ damnatum contineant. Eos porrò Adrianus I. Papa, cui Imperator Carolus, prout memorati libri loquuntur, omnia iis contenta subjecerat, suo judicio improbavit. Ajunt praterea fictos esse hos libros, nec Caroli magni jussu enaratos, sed ab ignoto quodam autore prolatos.

68. Lob. 7mo Concilium Francofordiense an. 794. celebratum Nicenum II. et cultum imaginum reprobavit, nam sic ait, can. 2. Adata est in medium quæstio de novâ Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in quâ Scriptum labebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deifica Trinitati, Servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem et Servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes damnaverunt. Ergò p.

Resp. Quidquid sit de mente Concilii Francofordiensis, neg. cons. Quia illud Concilium non fuit generale, nec approbatum ab Ecclesiâ Romanâ. Quòd si revera omnem cultum imaginum repudiavit, erravit. Nam Concilium Nicenum II. est verè Oecumenicum, cùm ei interfuerint præter Orientis Episcopos, Legati Adriani I. cum Patriarchâ Constantinopolitanô, et Legatis aliorum Patriarcharum, et à Leone III. Adriani in Sede Romanâ successore confirmatum sit, atque à totâ Ecclesiâ receptum.

Verùm quia circa mentem Synodi Francofordiensis variæ sunt sententiæ, juvat exponere, quid hac de re verisimilius videatur. Patres igitur Francofordienses, omisso, quòd in tantâ ignorantiâ versati fuerint, quantum ad Synodum VII. ut vel quo locô celebrata fuisset, nesciverint, Allata est, inquiunt, in medium quæstio de novâ græcorum Synodô, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt; Nicææ enim non Constantinopoli celebrata fuit hæc græcorum Synodus. Hoc, inquam, omissô, boni Patres isti erraverunt errore juris et facti circâ definitionem Concilii Nicæni II. errore quidem juris, nam omnem sacrum cultum imaginum rejecerunt, ut colligitur tùm ex his verbis Canonis 2. omnimodis adorationem renuentes contempserunt, atque damnaverunt; tùm quia /: ut ex libris Carolinis, Hincmarô, Adone, Anastasiô, et aliis, atque ex conventu Parisiensi sub Ludovicô Piô an. 824. convocatô constat :/ Franci tunc temporis omnem cultum sacris imaginibus recusarûnt, quamvis eas in Templis retinerent, et crucem ac Evangeliorum Librum venerarentur, in quo sibi non constabant, nam crux depicta vel sculpta, aut argentea nil aliud est, quàm imago veræ crucis.

Col. 6 p. 48.

Erraverunt etiam errore facti circa Synodum VII. putando eam declarasse cultum latriæ absolutæ, quæ soli Deo debetur, exhibendum esse imaginibus, ut patet ex verbis Canonis 2. suprà relatis. Hoc autem de Synodô Nicænâ existimasse videntur, cò quòd in Actis illius Synodi con-

 fessio Constantini Cypri Episcopi, quæ act. 3. habetur, perversè de Græcô Sermone in Latinum translata fuisset; sic enim in librô 3tiô Carolinô c. 17. exprimebatur Latinè: Suscipio et amplector honorabiliter Sanctas et venerandas imagines secundùm servitium adorationis, quod Trinitati emitto: cùm tamen in textu originali habeatur: adorationem verò, quæ sit secundùm latriam, soli Trinitati emitto. Certè Patres Francofordienses hîc culpâ non vacasse asserit Mabillonius noster*, quòd Synodum VII. criminarentur, quasi parem Sanctorum imaginibus ac Deificæ Trinitati cultum præscripsisset: item, quòd cultum Sanctis imaginibus per humi abjectiones, oscula, et thus exhibitum damnarent, idum autem probarent, quoad Crucem, Evangeliorum librum, et reliquias. Imò imaginum cultum prorsùs abjicere viderentur, eòquòd, prout habent Carolini libri, id neque in veteri, neque in novô Testamentô præcipi affirmarent.

* Præfat. ad 1. part. Sæculi IV. Benedictini.

In hoc tamen excusari posse videntur, quòd tùm ipsi tùm Franci Præsules tunc temporis Concilium Nicænum II. pro generali et ab Adrianô I. Papâ approbatum non habuerint. Hujus fidem facere videtur, quòd Soepè dictô Can. 2. nuæam Papæ Adriani mentionem faciant, sed solam, ut loquuntur, Græcorum Synodum perstringant; fortè crediderunt, Adrianum Papam, antequam hanc Synodum VII. confirmaret, illius acta ad ipsos transmisisse, ut ea examinarent, &c.

Certè Adrianus ipse Libris Carolinis, quibus hæc Nicæna Synodus oppugnatur, ita respondit, ut Oecumenici Concilii auctoritatem noménque illis nusquam objiciat.

Sed tandem illam Synodum Franci Præsules circa finem noni Sæculi receperunt, et religiosum cultum imaginibus detulerunt. Priùs tamen ~~[illegible]~~ imagines etiam in Templis retinuerant ad piam scilicet memoriam prototyporum, et rudiorum instructionem. Unde damnabant Iconoclastas, qui imagines frangebant, et destruebant. Horum porrò francigenarum Præsulum errorem, quem ignorantiâ et aliquatenus bonâ fide contraxerant, tolerarunt Summi Pontifices, ad vitandum scilicet majus malum, hâc prudenti circumspectione prævidentes fore, ut, si urgeretur Synodi VII. auctoritas, ex francorum universæ Christianitati tùm dominantium pertinaciâ, Christi Ecclesia conscissione foedissimâ et immedicabili laceraretur; et præsertim cùm non extet præceptum divinum affirmativum pro unoquoque Christianô de colendis imaginibus, sed duntaxat negativum, quod semper pro omni tempore obligat: quovis enim tempore malum et illicitum est Sanctorum imagines spernere, irridere, delere, frangere, contumeliis afficere; à quibus omnibus semper abhorruêre Franci.

Pr. 4 p. 49

Ob. 8vò Saltem Imaginum cultus qualis à Catholicis adhibetur est illicitus: nam ipsi imagines colunt, ut Deos, thus enim illis adolent, et luminaria coram illis accendunt. 69.

Resp. neg. ant. et ejus probationem. Nam thus adolere, et lumen accendere non sunt signa per se vel ex usu ad latriam determinata, sicut est sacrifi-

456. cium; sed sunt de se ad latriam et duliam indifferentia, et determinantur per intentionem illius, qui hæc signa adhibet, perinde ac genuflexio, corporis inclinatio, quæ etiam ad adorationem civilem et politicam pertinent. Cultus enim latricus consistit in summâ submissione erga Deum, propter infinitam ejus excellentiam, aliquo signo exhibitâ. Hinc si signum per se vel ex usu non sit determinatum ad supremam submissionem testificandam, adhiberi potest ad protestandam submissionem inferiorem ob excellentiam aliquam creatam.

Dices. Catholici afficiuntur magis erga aliquos imagines; nonnisi, quia putant iis inesse aliquam virtutem. Ergo.

Resp. neg. ant. Catholici quidem aliquas imagines sæpius honorant, quàm alias, quia Deus ac Sancti variis beneficiis et miraculis significant, se velle specialiter in quibusdam imaginibus et locis honorari. At non magis intensivè colitur aliqua imago ejusdem Sancti quàm alia.

70. Ob. 9no Imagines sunt idola. Ergò qui eas colunt, sunt idololatræ.

Resp. neg. ant. Nam idolum est falsi numinis imago, sive id, quod cùm Deus non sit, colitur tamen ut Deus. Fideles autem instructi non adorant imagines ut Deum; nihilque colunt tanquam Deum, nisi unum et verum ipsum Deum personis trinum. Immeritò ergo velut Idololatræ traducuntur.

06. 10mo Quidquid porrò, quem Imaginibus exhibent, cultum intêdigant Catholici; saltem Ecclesia non debuit tanquam de fide definire eas esse retinendas et venerandas; iduenim fide diviná credi non potest, quod Deus non revelavit. atqui Deus non revelavit Imagines esse retinendas et venerandas, cùm ex dictis idem sit mera disciplina, nihilque Christus de imaginibus prescripserit, et quaecunque de iis habentur in veteri Testamentô Christianos non spectent. Ergo.

Resp. Dist. primam propositionem. Ecclesia non debuit definire tanquam ex fide credendum quod unum et factum, hoc est, actu et de factô Imagines proponendas esse venerationi fidelium, conc. quoad jus exponendis ipsas Imagines quandoet ubi judicaverit, neg. Duplex fieri potest quaestio circa Sanctorum imagines. 1a. quae est in materiâ fidei, utrum legi divinae repugnet pingere et venerari Sanctorum Imagines. Cùm autem hâc de re esset controversia Catholicos inter et Heterodoxos, Ecclesia illam dirimit, et pro suô jure definivit credendum fide divinâ, non repugnare legi divinae pingere et venerari Sanctorum imagines; ipsius enim est interpretari legem divinam fidelesque docere, quid per illam liceat, quidve interdicatur. Altera verò quaestio, utrum, spectatis omnibus circumstantiis, expediat Sanctorum Imagines in Templis venerationi fidelium exponere, pertinet ad disciplinam duntaxat. Unde

Ad confirmationem, concessâ maj. dist. min. Deus non revelavit Imagines esse retinendas et venerandas, positivè præcipiendo idas retineri, et in Templis collocari, conc. Non revelavit fas esse eas retinere et in Templis collocare, subdist. non revelavit specialim, conc. generatim, quatenus revelavit Legem veterem, cujus erat præceptum illud Exod. 20. v. 4. Non faties tibi..... omnem similitudinem, promulgatâ Evangeliâ non obligare, neg. min. Sic generatim revelavit, Christianos jam non teneri abstinere à suffocato et sanguine, legémque hac de re ab Apostolis sanitam aut is. non esse inter præcepta divina numerandam, quibus nunquam derogari licet. Expositis verò Imaginibus SS. Trinitatis, item Christi et Sanctorum venerationem deberi manifestè colligitur ex Scripturâ, in quâ frequenter præcipitur reverentia erga res Deo dicatas, et ad Religionem pertinentes.

Igitur ex hactenus hoc toto paragrapho deductis constat, quòd tam Crux Christi, quàm ejus effigies, Sanctorum Reliquiæ et Imagines piè, liitè ac religiosè à nobis colantur, non quidem adoratione et cultu absolutâ, qui videlicet in ipsâ Cruce, Sanctorum reliquiis, et Imaginibus unicè sistat, sed relativâ duntaxat, qui nempe ad eorum prototypa referatur, et quorum ratione à nobis colantur.

Finis.

Prolusio.
Ad Theses Theologicas Selectas Ex Tractatu de Incarnatione S. Publicæ Disputationi expositas

Variis latentis propediti obstaculis primùm nunc paulò quidem seriùs quàm optaveramus et debueramus in arenam Scholasticam descendimus, præsentes Theses ex Tractatu de Incarnatione Selectas publicæ Disputationi exposituri, neque enim quisquam credat velimus, iis ea omnia contineri quæ de Stupendô simul ac Summè necessariô, imò primariô Religionis nostræ mysteriô, Incarnationis divino scilicet Sacramentô, explananda suscepimus.

Stupendum simul ac Summè necessarium, imò primarium Religionis nostræ mysterium istud Incarnationis divinum Sacramentum nuncupamus, nec sanè immeritò; enimverò in eo eluceant ac se se magnificè produnt præcipua divina attributa seu perfectiones, nempe omnipotentia, sapientia, bonitas, justitia, clementia et misericordia. Duas tam extremas, et à se invicem tam longè distantes naturas, divinam scilicet et humanam simul in eadem personâ intimô nexu conjungere sine ullâ confusione ac permistione, hoc verè summum et inauditum est divinæ potentiæ ac virtutis argumentum. Deum ad vilem homi-

470. nis conditionem demitti, re ipsâ majus est quoddam divinæ potentiæ miraculum, quàm grandia quæque moliri. Sapientia verò divina quanta hîc solertia in conciliandis simul justitiâ et misericordiâ Dei: Hæc gratiam postulat et pœnæ remissionem; illa jurium suorum conservationem, ac condignam noxii punitionem, ita ut Deus nec peccatum hominis dimittat impunitum, quia justus est, nec insanabile, quia misericors. Id autem divinô planè consiliô et arcanô actum est Dei Sapientia: Christus Sponsor noster locô nostrî substitutus pœnas divinæ justitiæ solvit ad rigorem; clementia verò ac benignitas Dei se se in hominum genus liberaliter effundit: reo parcitur, et plectitur innocens. Incarnationis Dominicæ mirum illud est ac divinum arcanum. Nisi enim Christus Deus esset, non afferret remedium; nisi esset homo, non præberet exemplum. Hanc satisfactionem non potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo; necesse est igitur, ut eam faciat Deus homo. Satisfactionis materiam, hoc est, pœnas et expiationis opera homo præbet, Deus pretium ac valorem impertitur: ita dum severa Dei justitia placatur, oblatô pro peccatis nostris proprii filii sui sanguine, quo nullum dignius pretium esse potest, benignitas et misericordia Dei in nos abundanter exercetur. Sic mirum in modum impletur, quod prædixerat David, Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia

et pax osculata sunt. Atque inde tanta 471.
in Deum gloria redundavit, ut Ecclesia
felicem non timeat dicere Adami culpam,
quæ tantum meruit habere Redemptorem.

Quanta proindè sit Incarnationis Dominicæ dignitas, facilè dispiciet, quisquis adeo, quo primùm eloquii fumus, mentem animumque intenderit, nempe totius Religionis Christianæ caput idcirco est, Spei ac Salutis nostræ unicum fundamentum.

Igitur Sublime istud argumentum, et quo nullum augustius, quantâ potuimus enimi contentione et solertiâ tractavimus, cujus Specimen aliquod præbent præsentes nostræ de augustissimô hôc mysteriô Theses, quas publicæ Disputationi exponimus, quibus ut Reverendma ac pergniam gratiosa Amplitudo tua vosque cæteri Plm Rdi Clarissimi, Doctissimi ac Religiosissimi Domini Patres ac Confratres colendissimi favere, necnon eas doctissimis et perpicuis argumentis vestris illustrare dignemini etiam atque etiam rogamus, efflagitamus.

472.
73.

Theses Theologico Selectæ
Ex
Tractatu de Incarnatione p.

1.

Incarnationem definimus, Primarium Religionis Christianæ mysterium, quo Verbum Divinum assumpsit naturam humanam, veram et integram, in unitatem personæ, ad redimendum genus humanum. Mysterium istud possibile est, seu nullam internam pugnam ac repugnantiam includit.

2.

Idius existentia adversùs gentiles demonstrari potest, ut et adversùs Judæos.

3.

Verbum Divinum veram nobisque consubstantialem naturam humanam, Corpus scilicet humanum et animam rationalem assumpsit; Corpus quidem ex Beatâ Virgine Mariâ, illibatâ semper, ac integrâ remanente ipsius Virginitate; illudque passibile ac corruptibile.

4.

Unica est in Christô persona, quæ simul est Deus et homo, i.e.st, Verbum Divinum sic assumpsit naturam humanam, ut divinitas, corpus et anima humana in unam personam coaluerint.

5.

In Christô sunt post unionem duæ naturæ integræ, distinctæ et inconfusæ, nempe divina et humana, ac proinde unio Verbi divini non est facta in-

naturâ, sed immediatè in personalitate.

6.

Duplex quoque in Christô fuit voluntas et operatio, divina una, humana altera.

7.

In Christô non est admittenda communicatio idiomatum in abstractô, proprietatum scilicet naturæ divinæ respectu humanæ; multô minùs proprietatum naturæ humanæ. Unde prorsùs falsæ sunt istæ Lutheranorum propositiones, humanitas Christi est ubique, est omnipotens, &c.

8.

In Christô ut homine fuit à primô conceptionis instanti vera scientia beatifica, quæ in claræ Dei visione consistit; ut et supernaturalis per se infusa, omnium nempè rerum supernaturalium, necnon humana rerum naturalium; non tamen scientia humana experimentalis, sed eam successu temporis acquisivit; multa quippe successu temporis sensibus percepit, per impressionem in eisdem factam, quæ antea sensibus non perceperat.

9.

In Christô ut homine fuit sanctitas tùm substantialis, seu ea, quâ sanctificatus est per Verbum vi unionis hypostaticæ; tùm accidentalis, quæ est gratia sanctificans.

10.

Christus verè et propriè nos redemit, necnon de condignô et æquivalenter, imò superabundanter pro

 omnibus hominum peccatis satisfecit.

ij.

Christus etiam secundùm humanitatem, seu quatenùs est homo, nec est, nec dici potest filius Dei adoptivus, multò minùs servus.

ij2.

Humana Christi natura hypostaticè Verbo conjuncta eâdem et unicâ cum divinitate Verbi adoratione et cultu est colenda; scilicet propter Verbi divini, quod est ipsius suppositum, increatam excellentiam.

ij3.

Sedet etiam Sancti in coelo cum Christo regnantes cultu abigno digni sunt, Beata Virgo Maria quidem Hyperdulia, caeteri verò Sancti Dulia cultu ~~et adoratione~~. Necnon bonum ac utile est, eos invocare, ut pro nobis ad Deum intercedant; neque id vel minimum Deo et Christo Mediatori est injuriosum.

ij4.

Crux etiam sive vera, in quâ passus est Dominus, sive picta et sculpta, sive manuum agitatione expressa, est colenda. Reliquiis item Sanctorum, ut et eorundem imaginibus pie, licite, ac utiliter religiosus cultus impenditur.